Domus Probationis Cracoviensis
Societatis Iesu pro Novitijs.
admodum utilis

QUÆSTIUNCULÆ CONTROVERSÆ

Cum modernis

Græcis Anti-Latinis

expositæ

Per

UNUM ROMANO-LATINUM.

ANNO DOMINI M. DC. LXXXI.

Typis Monasterii Olivensis S. O. Cist.

Imprimebat

Georgius Franciscus Fritsch Factor.

ANNO DOMINI M. DC. LXXXII.

APPROBATIO.

L*Ibrum hunc qui inscribitur : Quæstiunculæ Controversæ cum modernis Græcis Anti-Latinis expositæ Articulum Fidei de Processione Spiritûs Sancti à Patre & Filio, tum & alia dogmata piè & eruditè promoventem, illaq; solidissimis argumentis è Scriptura & Patrum testimonio petitis, contra eosdem Græcos probantem & demonstrantem; siquidem doctrina ejus Fidei & doctrinæ S. Catholicæ Romanæ Ecclesiæ convenientissima est, ut in publicum prodeat, iisq; qui à via veritatis aberraverunt, ac erroris sui nidum in arduis Divinitatis posuerunt, lucem præbeat, dignum esse censeo & approbo. Gedani die 11. Augusti Anno Domini 1682.*

NICOLAUS AMBROSIUS SOSNOWICZ. S. Theol. Licentiatus, Religiosarum Virginum Monast. Zukoviens. Ordinis Præmonstraten. Pœnitent. Surrogatus Officialis Gedanen. & Pomeraniæ.

Index

Index Quæstiuncularum.

citè rebaptizari à Græcis Anti-Latinis?

Quæstiuncula VII.

An Consecratio Eucharistiæ consistat in his verbis: Hoc est Corpus meum: *&*, Hic est Calix Sangvinis mei?

Quæstiuncula VIII.

An Vinculum Matrimonii sit indissolubile usq; ad mortem Conjugis alterutrius?

Quæstiuncula IX.

An post mortem secundæ Uxoris non liceat accipere in Matrimonium aliam Uxorem?

Hæ sunt magis selectæ, publicæ & communes Controversiæ, quæ hìc non sine utilitate ut spero exponi possunt. Breviter autem exponentur; tum ne suâ morâ

morâ distendant & tædio afficiant Lectorem, sed brevitate & varietate delectent, sicq; eundem ad sui lectionem suaviter alliciant; tum quia, quæ jam in editis libris exstant, non hìc describentur, sed solùm adferentur illa quæ in conferentiis cum Græcis Anti-Latinis usu expertus sum esse solidiora. Addo his novem Quæstiunculis communibus, particulares Quæstiunculas contra manu scriptum Dialogum Coresii; tum quia eo multùm gloriantur Græci Anti-Latini, eumq; secretò legunt & suos inficiunt, cùm ad ipsum utpotè occultum, Responsiones Catholicorum hactenus editas quæ utrisq; oculos aperiant, & fascinum hunc tollant, non habeant; tum quia dat occasionem fusiùs examinandi, an Concilium Florentinum sit legitimum & œcumenicum? in quo dubio plurimùm illos tenet hic liber manu scriptus Coresii.

QUÆSTIUNCULA I.
An Spiritus S. procedat à Patre & Filio?

Respondeo.

GRæci Anti-Latini negant Spiritum S. procedere à Patre & Filio, ſed ſolùm concedunt procedere à Patre; ſeu à ſolo Patre per Filium, non autem à Filio. Latini Romani ſeu Catholici affirmant. Cum quibus ſit noſtra

Propoſitio Catholicæ Fidei.

Spiritus S. procedit à Patre & à Filio. Ita definitur, & ſic explicatur à Concilio Florentino: Profitemur, quòd Spiritus S. ex Patre & Filio æternaliter eſt; & eſſentiam ſuam, ſuumq́ue eſſe ſubſiſtens habet ſimul, ex Patre, ſimul & Filio; & ex utroque æternaliter tanquam

ab uno principio, & unica ſpiratione procedit: declarantes, quòd id, quod Sancti Doctores & Patres dicunt, ex Patre per Filium procedere Spiritum S. ad hanc intelligentiam tendit, ut per hoc ſignificetur, Filium quoque eſſe ſecundùm Græcos quidem Cauſam; ſecundùm Latinos verò Principium ſubſiſtentiæ Spiritûs Sancti, ſicut & Patrem. Et quoniam omnia quæ Patris ſunt, ipſe Pater, unigenito Filio ſuo gignendo dedit præter eſſe Patrem; hoc ipſum quod Spiritus S. procedit ex Filio, ipſe Filius à Patre æternaliter habet, à quo etiam æternaliter genitus eſt. Hæc Florentinum. Quod eſſe œcumenicum & legitimum, ideóque ab omnibus veris Chriſti fidelibus recipiendum, breviter uno & grandi probatur authentico, claro & digniſſimo fide teſtimonio totius Eccleſiæ Catholicæ per univerſum orbem & omnes gentes diſperſæ, recipientis & prædicantis illud eſſe tale. Fuſiùs autem, illud eſſe legitimum,

timum, oſtendetur in Quæſtiunculis ſupra Dialogum Coreſii infra apponendis.

Porrò hanc Propoſitionem Catholicam de Proceſſione Spiritûs Sancti à Patre & Filio, à plurimis probant teſtimoniis Sacræ Scripturæ, SS. Patrum, Conciliorum, & rationibus Theologicè deductis, plurimi Latinorum libri circa hoc punctum editi, quos ego hìc non deſcribo, ſed tantùm breviter ſeligo exponendas aliquas probationes quas ſatis validas expertus ſum in colloquiis cum Græcis Anti-Latinis. Sic igitur prædicta Propoſitio Catholica

Probatur 1. ex S. Scriptura Joan. 16. Dicit Chriſtus D. de ſe ipſo: *Omnia quæ habet Pater, mea ſunt.* Cujus ſenſum explicat S. Cyrillus Alexandrinus l. 4. contra Neſtorium dicens: *Noverat probè Filius ſe eſſe ex natura Deum ſimul cum Patre, & omnia quæ illius ſunt ſe habere, præter ſolum eſſe Patris.* Ex hoc textu tale formo argumentum. Vis ſpirandi

di

di actìvè Spiritum Sanctum, ſeu Spiratio Activa, vel includitur in iſto termino ly *Omnia*; vel in iſto ly *Pater*? ſi includitur in ly *Omnia*: Ergo Filius DEI habet vim ſpirandi actìvè Spiritum S. utpotè qui habet omnia quæ Patris ſunt præter ſolum eſſe Patris. Si verò vis ſpirandi actìvè Spiritum S. non includitur in ly *Omnia*, ſed in ly *Pater*: Ergo imprimis Filius DEI, non tantùm non habet ſolum eſſe Patris, ut dicit S. Cyrillus, ſed etiam non habet vim actìvè ſpirandi Spiritum S. malè igitur excipitur à S. Cyrillo ly *præter ſolum eſſe Patris*. Deinde: Ergo Filius realiter eſt Spiritus S. & Spiritus S. realiter eſt Filius. Sic enim argumentor: Qui procedit realiter à Spiratore, ille realiter eſt Spiritus S. Sed Filius procedit realiter à Spiratore: Ergo Filius realiter eſt Spiritus S. Major eſt vera ut patet in Spiritu S. Minor probatur: Qui procedit à Patre, qui eſt idem realiter adæquatè cum Spiratore ſeu habente vim actìvè

ſpirandi Spiritum S. ille procedit realiter à Spiratore: ſicut qui procedit ab animali Petri quod eſt idem realiter adæquatè cum rationali Petri, ille procedit realiter à rationali Petri. Atqui Filius procedit à Patre, qui juxta te eſt idem realiter adæquatè cum Spiratore: Ergo. Rurſus de Spiritu S. ſimiliter argumentor: Qui procedit realiter à Patre, ille realiter eſt Filius, ut patet in Filio. Sed Spiritus S. procedit realiter à Patre: Ergo Spiritus S. realiter eſt Filius. Minor immediata probatur: Qui procedit à Spiratore qui eſt idem realiter adæquatè cum Patre, ille procedit realiter à Patre; ſicut conſtat à ſimili ex immediato argumento de Filio. Atqui Spiritus S. juxta te procedit à Spiratore, qui eſt idem realiter adæquatè cum Patre. Ergo.

Neque recurras ad diverſum modum quo Filius procedit à Patre & diverſum, quo Spiritus S. procedit ab eodem

dem realiter adæquatè Patre. Contra enim iterum ſic argumentor: Qui procedit eodem realiter adæquatè modo, ille non procedit diverſo modo: ſed tam Filius, quàm Spiritus S. procedit eodem realiter adæquatè modo: Ergò tam Filius quàm Spiritus S. non procedit diverſo modo à Patre loquendo realiter; nam hîc non loquimur de diverſo modo ex parte actûs noſtri Intellectûs, quia ex tali modo nonniſi ex parte actûs, diverſus reſultaret terminus; adeòq́ue adhuc ſolùm ex parte actûs eſſet diverſus Filius & Spiritus S. realiter verò eſſet unus idemq́ue. Major Syllogiſmi immediati patet ex terminis in ſenſu reali ſumptis. Minor probatur. Iſte modus diverſus, quo procedit tam Filius, quàm Spiritus S. à Patre, vel eſt Generatio Activa & Spiratio Activa, vel Generatio paſſiva & Spiratio paſſiva? Si dicas, ut debes, eſſe Generationem Activam & Spirationem Activam: Contra ſic argumentor:

tor: Generatio Activa seu Actio Generativa, & Spiratio Activa seu Actio Spirativa, est juxta te realiter adæquatè identificata soli Patri, seu realiter adæquatè inclusa in solo ly *Pater*, inclusa inquam per identitatem realem adæquatam cùm non includatur sic in ly *Omnia*; nec in ly *Pater* includatur quidquam realiter distinctum ab illo, aut in illo. Ergo est realiter adæquatè eadem: Ergo non diversa realiter: Ergo per illam utramque procedens à Patre, tam Filius quàm Spiritus S. non procedit modo diverso realiter. Si dicas, ut quidam Græcus Anti-Latinus mihi respondit, quòd iste modus diversus sit Generatio Passiva, & Spiratio Passiva: Contra omissis aliis sic argumentor: Filius Dei & Spiritus S. sunt idem realiter ædæquatè, & non diversi realiter; siquidem tam Filius quàm Spiritus S. procedit ab eodem realiter adæquatè principio, scilicet Patre & Spiratore, qui uterque est idem realiter adæquatè juxta te; nec habent aliud distinctionis

prin-

principium respectu sui, quod in Deo secundùm Patres & Latinos & Græcos est sola processio. Omnium loco sit Gregorius Nissenus epistolâ ad Ablavium. Nos qui Divinam naturam differentiæ expertem confitemur, non negamus eam, quæ secundùm Originans & Originatum consideratur differentiam, in quo solo alterum ab altero discerni censemus, quid scilicet credamus alterum esse principium vel originans, alterum ex principio seu originatum. Atqui Generatio passiva in Divinis & Spiratio passiva identificatur realiter adæquatè cum Genito seu Filio, & cum Spirato seu Spiritu Sancto; aliàs in Filio daretur distinctio realis aliquorum prædicatorum realiter ipsi identificatorum, quod est contra fidem & rationem, ut alibi docetur, idemque esset dicendum de Spiritu S. Ergo Generatio passiva in Divinis & Spiratio passiva sunt idem realiter adæquatè & non diversi realiter modi. Præterquam quod respondeatur per

hoc quod est in ~~generatione~~ quæstione: Generatio enim passiva & Spiratio passiva est realiter indistincta à termino, ideóque non est modus & via ad terminum, sed ipse terminus de quo hic quæritur.

Quod si Filius sit realiter Spiritus S. & Spiritus S. sit realiter Filius, ut hactenus deductum est ex eo, si vis spirandi activè Spiritum S. includatur in ly *Pater*, & non in ly *Omnia*, videat unusquisq; Anti-Latinus Græcus quot contra illum sequantur absurda, quòd nimirũ sint tantùm duæ Personæ realiter distinctæ in Divinis; & consequenter, quòd non sit in Divinis & fide Trinitas sed dualitas Personarum; & ulterius, quòd alius credatur ab illis Deus, alius Filius, alius Spiritus S. quàm sit revelatus & prædicatus à SS. Patribus; item alius Christus qui scilicet simul sit Filius & Spiritus S. alia Mater Christi quæ scilicet sit simul Mater Filii Dei, & Spiritûs Sancti &c. &c.

Probatur 2 Ex SS. Patribus. S. Ba-

silius lib. 2. contra Eunomium in fine attribuentem Spiritum S. soli Filio ut Causæ, & non etiam Patri, sic arguit: *Nihil est in rebus quod Filio insit, & à Patre alienum sit; Omnia enim (inquit) mea, tua sunt, & tua mea. Quomodo ergo soli Unigenito Spiritûs causam attribuit?* Et infra: *Si ergo duo principia in oppositum ducens, hæc ait; cum Manichæo & Marcione conteretur: Si verò ab uno principio dependere omnia putat, quod à Filio factum esse dicitur, ad primam refertur Causam.* Et cùm S. Doctor adduxisset testimonia ex S. Paulo, quibus Apostolus tam Patri quàm Filio attribuit Spiritum S. quale illud est ad Rom. 8. *Si quis autem Spiritum Christi non habet;* & 1. ad Cor. 12. *Spiritum qui ex Deo est.* Tandem adjungit ipsius Christi testimonium ex Evangelio, sicque dicit S. Doctor: *Dominus qui Veritas est, Spiritum Veritatis dicit, & à Patre procedere, hic verò Spiritum à Patre removet.* Ex hoc tam claro testimonio S. Basilii, quod

uſque hodie exſtat in libris Græcis, & à Græcis legitur, clarè infertur &

Colligitur 1. S. Baſilius non arguit Eunomium quòd Unigenito, ſed quòd ſoli Unigenito Spiritûs cauſam attribuat: Ergò S. Baſilius non negat Unigenito attribuendum Spiritum S. quâ tamen negatione ſolâ, ſi illam Baſilius tenuiſſet veram, facilè totum negotium cum Eunomio confeciſſet. Clarum igitur eſt, quòd S. Baſilius voluerit ab Eunomio attribui cauſam Spiritûs Sancti, non ſoli Unigenito, ſed & Patri; adeòq́ue clarum eſt ex hoc textu, quòd juxta S. Baſilium non ſolus Unigenitus, ſed & Pater ſit Cauſa Spiritûs S. conſequenter clarum eſt, Spiritum S. procedere & à Patre, & à Filio ex ſenſu S. Baſilii, cum quo nos Catholici loquimur, & quem Græci Anti-Latini deſerunt, ejusq́ue textum manifeſtum cum particula ly *Soli Unigenito* conjuncta, cum ly quomodo clarè negante excluſionem Patris à Filio, & conſequenter affir-

firmante inclusionẽ Patris cum Filio in ratione principii Spiritûs S. legẽtes & videntes non vident, aut videre nolunt.

Colligitur 2. S. Basilius hoc claro textu contra Eunomium, clarè probat tum ex S. Scriptura, tum ex ratione eorundem in Patre & Filio prædicatorum, & communis utrique ac ejusdem energiæ seu efficaciæ ac vis efficacis, hoc est vis efficiendi Spiritum S. quam nos vim activam spirandi dicimus, probat inquam, Spiritum S. procedere à Patre & à Filio, non ut à duobus principiis, sed ab uno principio, eò quòd id, quod à Filio factum esse dicitur ad primam refertur Causam. Ergo clarè loquimur cum S. Basilio qui dicimus Spiritum S. procedere à Patre & Filio tanquam ab uno principio, & qui contrariũ dicunt, clarè contradicũt S. Basilio: & qui dubitãt an Spiritus S. procedat à duobus principiis, an ab uno principio si à Patre & Filio procedat, in claro textu S. Basilii dubitant, & manifestum textum legentes & videntes non vident, an nolunt videre.

Reſpondit 1. quidam Græcus Antilatinus ad hoc teſtimonium, dicens: in hoc textu S. Baſilii: *Spiritum Veritatis dicit, & à Patre procedere*, particula *Et* ſpectat ad ly *dicit*, non ad ly *à Patre*, ut patet in Græco textu. Contra 1. dixi & dico: videat benè textum Græcum, ne ubi illum alius legat & explicet aliter, tu erubeſcas. Sed quidquid ſit de particula *Et*, ad quid ſpectet in Græco textu, patet nihilominus ex toto contextu hujus loci S. Baſilii, quòd S. Baſilius non negaverit Eunomio quòd Spiritus S. ſit à Filio, ſed tantùm negavit quod à ſolo ſit Filio, probavitque illi quòd ſit & à Patre & à Filio, ut deductum eſt ex illius textu manifeſto. Contra 2. Quis ita Græcorum etiam puerorum loquitur, Dominus dicit & ? itane S. Baſilius tantus Orator particulam copulativam partium Orationis neſcivit ex lege Grammatica ponendam inter partes Orationis quas copulet, quia illam poſuit poſt partem Orationis ?

Con-

Contra 3. Spectet particula *Et* ad ly *dicit* subintellectum, ita ut sensus sit, *Dominus qui est Veritas, Spiritum Veritatis dicit, & dicit à Patre procedere*, quod revera probare intendebat S. Basilius, qui intendebat Eunomio probare ex ipso Evangelio, quòd in illo Spiritus S. attribuatur & Filio per ly *Spiritum Veritatis*, & Patri, per ly *à Patre procedit*; Nihilominus ex hac ipsa particula *Et* etiam ad ly *dicit* sic spectante, patet manifestè, quòd juxta Sanctum Basilium Spiritus sit & Patris & Filii: ad hoc enim adduxit hoc testimonium Christi, quod ut duplex ad duas personas pertinens conjunxit particulâ copulativâ *Et*, ita ut vis argumenti S. Basilii contra Eunomium ex Evangelio sit hæc: In Evangelio ipse Dominus JEsus qui est ipsa Veritas, Spiritum S. dicit Spiritum Veritatis id est suum & idem dicit eundem Spiritum à Patre procedere: Ergo Eunomius contra Evangelium attribuit Spiritum

ritum S. soli Filio, & removet illum à Patre. Videat unusquisque si non hæc vis probationis S. Basilii manifestè ex contextu claro pateat. Et ulteriùs videat, an non manifestè inf ratur ex textu S Basilii citato, quòd Spiritus S. procedat a Patre & Filio sive particula *Et* spectet ad ly *dicit*, sive ad ly *à Patre*. Nempe si spectet ad ly *dicit*, patet clarè, ut modò ostensum est, quod conjungat duplex Christi testimonium attribuens duabus Personis, Patri scilicet & Filio, qui est Veritas, Spiritum S. ex quo clarè probatur, juxta S. Basilium, à Patre & Filio esse Spiritum S. & non à solo Filio, ut volebat Eunomius. Si verò particula *Et* spectat ad ly *à Patre* eo ipso, quòd sit copulativa, copulat juxta S. Basilium processionem Spiritûs Sancti à Patre, quam exclusit Eunomius, cum processione Spiritûs Sancti à Filio, quam solam asserebat idem hæreticus. Et sic ex ex utroque modo acceptâ particulâ *Et* in citato textu

xtu S. Basilii, clarè infertur, quòd juxta clarum textum S. Basilii Spiritus S. sit à Patre & Filio.

Respondit 2. idem, quòd Funomius dixerit Spiritum S. factum, adeoq; creatum à Filio, quod refutat S. Basilius: nihil autem hìc de processione interna Spiritûs Sancti uterq́ue dicit.

Contra 1. Dixi ego & dico. Si Eunomius dixit hìc Spiritum S. factum & creatum à solo Filio, & si S. Basilius illi respondendo nihil dixit de processione Spiritûs Sancti ad intra, sed solùm de factura, & creatione: Ergò siquidem S. Basilius in sua responsione hac contra Eunomium probavit, ut clarè constat ex ejus textu, Spiritum S. esse à Patre & Filio, ut ab uno principio, probavit solùm S. Basilius quòd Spiritus S. sit factura & creatura, factus & creatus à Patre & Filio. En qualem hæreticum facis ex tanto Sancto Doctore! Contra

2. vel S. Basilius respondit ad propositum Eunomio, vel non respondit ad propositum? non potes sine grandi & blasphema injuria dicere, quòd tantus Doctor Ecclesiæ non responderit ad propositum hæretico. Si autem, ut debes dicere, respondit ad propositum: Ergò cùm juxta te Eunomius proposuerit S. Basilio Spiritum S. esse factum & creatum à Filio solo, & cùm S. Basilius refutando illum, quòd non à solo Filio, sed & à Patre sit factus, & creatus, adducat textum ex Evangelio, in quo Dominus qui est Veritas, Spiritum Veritatis dicit & à Patre procedere; jam ly *procedere*, significabit juxta S. Basilium ad propositum de creatione respondentem, idem quòd ly *Creari à Patre*; cùm tamen hactenus Ecclesia, tam Latina quàm Græca credidisset, quòd iste textus Evangelii. *Qui à Patre procedit*, procedat de Processione interna Spiritûs S. à Patre, non de creatione, & quod ly *procedit* significet processio-

cessionem internam non creationem Spiritûs Sancti. Quod si absurdum est ita sentire de S. Basilii interpretatione hujus vocis, sed dicas illum locutum de processione interna intelligendo vocem prædictam: Ergo vel non ad propositum Eunomio proponenti de creatione respondit; vel de processione ad intra litem sibi cum Eunomio S. Basilius intellexit, de qua tu dicis nihil hìc utrumque illorum dixisse.

Hic textus valde clarus & urgens ex S. Basilio mihi sufficit hac in compendiosa Quæstiuncula, de hac magnorum librorum materia. Alios textus sicut S. Scripturæ, ita & SS. Patrum, procedentes de particula *Ex* & *Ab* in hac materia processionis Spiritûs sancti, ita copiosos in editis libris invenies, ut pœne obruaris illis, si velis legere, & cum authenticis libris conferre, si non credas typo novo. Jam

SS. Patrum testimonia & textus procedentes de particula *Per*, quibus dixerunt SS. Patres Spiritum sanctum procedere à Patre per Filium, non negant, sed totaliter admittunt Græci Anti-Latini. Ex quibus testimoniis suppositis & admissis ab ipsis adversariis sic argumentor: Vel creditis cum SS. Patribus, quòd Spiritus S. procedat à Patre per Filium, vel non creditis? si non creditis: Ergo non habetis fidem SS. Patrum. Si creditis: quæro, quomodo hanc fidem SS. Patrum & vestram intelligitis, an de processione ad intra an de processione ad extra? Si de processione ad intra. Infero 1. Ergo, cùm juxta vos particula *Per* non idem significat, quòd particula *Ex* vel *Ab*, verè contra vos inferetur, quòd Spiritus sanctus procedat ad intra ita, ut habeat duo diversa principia, unum *A quo*, alterum *Per quod*. Hoc autem est contra manifestum textum S. Basilii immediatè citatum, & contra fidem Trinitatis.

Quod

Quod si hoc principium, *Per Quod*, referatur ad primam Causam cum sancto Basilio, & salvetis unitatem principii in processione Spiritûs S. cur id vobis non vultis persvaderi à Latinis, cum quibus jam sic intelligentes processionem Spiritûs S. litigabitis de voce tantùm, aut potius particula *Per*, an idem significet quòd significat particula *Ab* vel *Ex*, an non idem; siquidem de re concordabitis cum Latinis, qui etiam Filium dicunt esse principium Spiritûs Sancti supponens & referibile, juxta S. Basilium, ad primam Causam & principium non supponens aliud primum ante se. Quanquam & de voce satis inconsequens erit quæstio; nam loquendo de divinis ad extra conceditis particulam *Per*, idem significare quod significat particula *Ab* vel *Ex*, convicti tum claro textu S. Basilii, tum Evangelio S. Joannis in quo dicitur *Omnia per ipsum facta sunt*, ubi ly *Per* significat idem quod Ly *Ab*; alias si ly *Per* non significa-

ret idem quod ly *Ab* hoc loco, ſequeretur *non omnia ab ipſo facta eſſe*, & ſic non *Omnium Creatorem eſſe realiter loquendo*; cùm omnium Creator realiter loquendo ſit, qui omnia creavit & fecit, & à quo omnia creata & facta ſunt; ſiquidem locutio activa & paſſiva in ſenſu reali eſt eadem, ut patet in hac; ego lego librum, & liber legitur à me. De divinis autem ad intra negatis particulam *Per* ſignificare idem, quod ſignificat particula *Ab* vel *Ex*, quâ conſequentiâ non video. Tum quia ſi de divinis ad extra particula *Per* ſignificet idem quod particula *Ab* vel *Ex*, cur etiam in divinis ad intra non idem ſignificet? Tum quia etiam in divinis ad intra ly *Per ſeipſum*, *Per ſuam eſſentiam Deus eſt bonus*, *habet id quod eſt* nonne rectè explicatur per particulam *Ab* vel *Ex* dicendo, *Ex ſeipſo*, *ex ſua eſſentia eſt bonus Deus*, & *A ſua eſſentia*, *Ex ſua eſſentia Deus habet id quod eſt*? Infero 2. Ergo vos credendo Spiritum S. procedere

à Pa-

à Patre per Filium, additis Evangelio ly *per Filium* ; cùm illud non ſit in illo. Quod ſi hoc vobis liceat cum Sanctis Patribus, quare non licebit Latinis cum iisdem & Conciliis addere ly *à Filio?* vel ſi Latini addendo ly *à Filio*, errant à Fide Conciliorum antiquorum prohibentium ullam additionem ad fidem, quare vos non erratis addentes ly *per Filium*? Si verò de proceſſione Spiritûs ſancti ad extra, intelligatis veſtram & SS. Patrum fidem profitentium Spiritum S. procedere à Patre per Filium: Inferam 1. Ergo juxta vos ly *procedere à Patre*, & conſequenter illud Evangelii: *Qui à Patre procedit*, intelligendum eſt de proceſſione ad extra, & non ad intra; quòd eſt contra fidem, ſenſum Eccleſiæ, SS. Patrum, & veſtrum, quem toties in libris & dictis contra Latinos edidiſtis. Inferam 2. Ergo, cùm concedatis, ut dictum ſupra, particulam *Per* loquendo de divinis ad extra, idem ſignificare quod *Ab* vel *Ex*, licebit vobis dicere,

dicere, quod Spiritus S. procedat à Patre & à Filio, ex Patre & ex Filio. Hoc autem erit contra S. Damascenum lib. I. Fid. c. II. qui, ut Latinis objicitis, tenuit & dixit: *Ex Filio autem Spiritum S. non dicimus.* Aut si non concedatis particulam *Per* loquendo de divinis ad extra, idem significare quod *Ex* vel *Ab*, jam, dum S Cyrillus Alexandrinus lib. de recta fide ad Reginas dicit: *Procedit autem per utrosque Spiritus vivificans*, & dum alii SS. Patres promiscuè usurpant particulam *Per* vel *Ab*, de Patre, non licebit intelligere & dicere, quòd Spiritus S. procedat ex Patre etiam ad extra: imò, ubicunque in S. Scriptura invenietur particula *Per* non licebit illam explicare per particulam *Ex* vel *Ab*; & sic ly *Omnia per ipsum facta sunt*, non licebit explicare sic: *Omnia ex ipso vel ab ipso facta sunt*; & si hæc locutio passiva erit mala, etiam hæc; *Omnia ipse fecit*, erit mala, malumque erit consequenter dicere de Filio Dei quòd sit Factor & Creator omnium, &c. &c. Pro-

Probatur 3. ex Conciliis. Ex primis quidem duobus Conciliis, ſcilicet Nicæno 1. & Conſtantinopolitano 1. non poteſt clarè oſtendi hæc veritas; quia iſta Concilia duo nullam habuerunt Controverſiam de Proceſſione Spiritûs ſancti, ſed ſolùm de Conſubſtantialitate Filii cum Patre contra Arrium, & de Divinitate Spiritûs ſancti contra Macedonium.

Jam in Concilio Epheſino, Chalcedonenſi, Conſtantinopolitano ſecundo & tertio, fuit approbata Epiſtola Cyrilli contra Neſtorium, in qua ſunt hæc verba: *Spiritus appellatus eſt Veritatis, & Veritas Chriſtus eſt: unde & ab iſto ſimiliter, ſicut ex Patre procedit.* En ly *Ab iſto* attribuitur Filio, nec ſolùm hìc ſermo eſt de Proceſſione ad extra, quia *ſimiliter procedit*, inquit S. Cyrillus, *Sicut ex Patre*, ex Patre autem non ſolùm ad extra procedit Spiritus Sanctus. Ecce quatuor Concilia Oecumenica, in hac

Epi-

Epiſtola Cyrilli, ly *Ab iſto*, legerunt & non reprobârunt, imò cùm approbaverint Epiſtolam, approbârunt & ly *ab iſto* incluſum in illa In Concilio ſeptimo Seſſ. ultima hæc Fidei Confesſio reperitur, ut oſtenſum eſt Græcis in Concilio Florentino, ex antiqua ſcriptura hujus ſeptimæ Synodi: *Credimus in Spiritum Sanctum & vivificantem, qui ex Patre Filioq; procedit.*

In Concilio Lateranenſi, cui cum aliis 1283. Patribus congregatis interfuerunt, & conſenſerunt Græci, ut patet ex c. 4. ejusdem Concilii, definitum eſt ſic: *Pater à nullo: Filius à ſolo Patre; & Spiritus S. ab utroq; pariter, absq; initio pariter & fine: Pater generans; Filius naſcens; & Spiritus S. procedens.*

In Concilio Lugdunenſi ſub Gregorio X. Anno D. 1274. præſentibus 1000. Patribus unâ cum Legatis Orientalibus cantatum eſt Symbolum cum additione *Filioq;* ter Græcè, ter Latinè.

In Concilio Florentino poſt longas diſpu-

diſputationes Doctiſſimorum Patrum conſentientibus Græcis & Latinis , & præſente Palæologo Græcorum Imperatore, itemq́ue Patriarcha Conſtantinopolitano, aliisq́ue aliorum Patriarcharum Vicariis & Epiſcopis Græcis definitum eſt, ſicut initio hujus Quæſtiunculæ poſitum legis. De authoritate verò hujus Concilii agetur in Quæſtiunculis contra Coreſium. Nunc interea ſic argumentor contra Græcos Anti-Latinos illud rejicientes: Vel apud vos de fide eſt Concilium Florentinum, eſſe illegitimum & rejiciendum, vel non eſt de fide? Si eſt de fide: oſtendite, in quonam Concilio Oecumenico legitimo & in quibus SS. Patribus habetis propoſitum hunc veſtræ hujus de Florentino Concilio, Fidei articulum. Si non eſt de fide, uti revera non eſt, cùm nullum Oecumenicum legitimum Concilium poſt Florentinum, poteſtis oſtendere, nec habuiſtis, idemq́ue de SS. Patribus: Infero 1. Ergo apud

pud vos non erit contra fidem tenere contrarium, scilicet quòd Concilium Florentinum sit legitimum & admittendum; quod enim non est de fide, illi contrarium tenere & admittere, non est contra fidem seu contrarium fidei, utpote quæ non est ut patet. Ad quid ergo persequimini hos, qui illud admittunt, cùm nihil contrarium Fidei vestræ faciunt? Infero. 2. Ergo quòd Concilium Florentinum sit illegitimum & rejiciendum, non est apud vos summè infallibilis Veritatis propositio; sola enim est talis quæ est de fide: si autem non est summè infallibilis Veritatis propositio, & cùm etiam non sit ex ipsis terminis evidens, ut patet, sequitur quòd possit esse falsa & errori obnoxia, adeòque possit esse contra fidem; sicut omnis propositio non evidens, nec summè infallibilis Veritatis, potest esse falsa, errori obnoxia, & contra fidem, ut docetur in scholis. Talis autem propositio, meretur ne a-

pud prudentes & doctos talem adhæsionem, quali vos adhæretis huic propositioni quòd Concilium Florentinum sit illegitimum & rejiciendum, & talem persecutionem ac odium, quali vos prosequimini Latinos contrariam propositionem tenentes, quòd scilicet Concilium Florentinum sit legitimum & admittendum non rejiciendum?

Dices. In Concilio Ephesino cap. 7. prohibentur omnes alteram fidem proferre, aut scribere, aut exponere, præter eam quæ definita fuit in Concilio Nicæno, in cujus Concilii Nicæni symbolo non fuit particula *Filioq;*. Atqui hanc particulam *Filioq;* adscribit & apponit symbolo Nicæno Concilium Florentinum; Ergo Concilium Florentinum est inter illos omnes prohibitos à Concilio Ephesino; adeòq; ab illo jam ante est damnatum, & à nobis admittentibus Ephesinum, est omninò rejiciendum.

Resp. & dico 1. Multum probat hoc argumentum, ideòque nihil. Probat nimirum quòd & Concilium Constantinopolitanum primum sit inter illos omnes prohibitos à Concilio Ephesino, quia etiam Constantinopolitanum primum, addidit Symbolo Nicæno verba hæc *Qui à Patre procedit*, quæ non fuerunt in Symbolo Nicæno addita. Similiter probat Concilium Chalcedonense esse inter eosdem prohibitos à Concilio Ephesino, quia etiam Concilium Chalcedonense aliud Symbolum composuit, in quo multa addidit ad Symbolum Nicænum exigente id bono Ecclesiæ pro tunc spectato: item Synodum septimam, quæ ut ostensum, eandem particulam *Filioq́* apposuit.

Resp. 2. Ista objectio est hæretica, Lutherana scilicet & Calvinistica, ideòque nullius fidei. Nempe simili modo Lutherani & Calvinistæ objiciunt Latinis docentibus Traditiones admitten-

tendas illud ad Galat. 1. *Licet nos, aut Angelus de cælo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis anathema sit, sicut prædiximus & iterum dico Si quis vobis evangelizaverit, præter id quod accepistis, anathema sit.* Et illud Apocal. cap. ult. *Si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto.* Unde sicut huic Lutheranæ & Calvinisticæ objectioni respondemus, ita respondemus & huic propositæ à Græcis Anti-Latinis, dicendo, quod sicut S. Paulus Apostolus non dixit anathema Apocalypsi S. Joannis post epistolam ad Galatas scriptæ, neque suis aliis epistolis quas idem S. Paulus longè post epistolam ad Galatas scripsit; & sicut S Joannes in loco citato Apocalypsis, nec S Paulus damnârunt Concilium Nicænum quod apposuit ly *Homousion*, quod in epistolis S. Pauli non est, nec in Apocalypsi: ita nec Concilium Ephesinum prohibuit, aut damnavit Concilium Floren-

tinum. Nempe, ſicut in Epiſtola ad Galatas, & in Apocalypſi damnata & prohibita eſt alia Evangelizatio & appoſitio, quæ eſſet contraria Evangelizationi S. Pauli, & Apocalypſi S. Joannis: ita à Concilio Epheſino prohibita eſt fides contraria Symbolo Nicæno. Particula autem *Filioq;*, non addit fidem contrariam Symbolo Nicæno, ſed eandem clariùs explicat; ſicut Symbolum Nicænum addendo particulam *Homouſion*, clariùs explicat Epiſtolam ad Galatas & Apocalypſim, non autem contrariam fidem illis addit.

Reſp. 3. In dicta prohibitione Concilii Epheſini, prohibetur componi, proferri, ſcribi & proponi fides à Clericis & Laicis id eſt, authoritate privata; non autem prohibetur eadem fides proponi ab Eccleſia in Conciliis congregata, ſeu authoritate publicâ Eccleſiæ, quæ ſemper eſt *Columna & Firmamentum Veritatis*, ideòque ſemper veritatem proponere poteſt. Jam

verò

verò additio particulæ *Filioq́*, hoc ipſo quia in Concilio Florentino eſt facta, authoritate privata Clericali & Laicali, ſed publica totius Eccleſiæ tunc congregatæ in illo legitimo œcumenico Concilio, quale eſſe teſtatur Eccleſia Catholica per totum orbem diſperſa, cum omnibus doctiſſimis Academiis; & quod eſſe illegitimum non oſtenditur à Græcis Anti-Latinis, ut illis hìc breviter probatum eſt.

Reſp. 4 Videant Græci Anti-Latini, an hoc ipſum argumentum, non poſſit retorqueri contra ipſos, qui ſi non in ſymbolo Liturgiæ, certè in libris editis publicè addunt Symbolo Nicæno particulam *Per Filium*, & particulam *à ſolo Patre* &c.

Probatur 4. Ex Rationibus. Ratio 1. eſt. Vel Pater æternus generando Filium, communicat illi ſpirationem Activam, ſeu vim ſpirandi activè Spiritum S. & Actionem ſpirativam, vel non communicat? ſi communicat:

Ergo Filius habet ſpirationem Activam, ſicut illam habet Pater; adeòque ſicut à Patre habente ſpirationem Activam, procedit ad intra Spiritus S. ita procedit idem Spiritus S. à Filio habente eandem ſpirationem Activam communicatam à Patre; aliàs, ſi hoc dici non poſſet, etiam non poſſet dici, quòd ſicut à Patre habente omnipotentiam productivam Solis ad extra, procedit Sol ad extra; ita etiam à Filio habente omnipotentiam productivam Solis ad extra comũnicatam à Patre, producitur Sol ad extra. Si non comũnicat: Infero 1. Ergo falſum eſt illud S. Cyrilli ſupra citati, quòd Filius DEI noverit ſe habere omnia quæ Patris ſunt *præter ſolum eſſe Patris*; ſiquidem præter ſolum eſſe Patris, non habet ſibi communicatam Spirationem Activam ſeu eſſe Spiratoris. Infero 2. Ergo Filius non habebit per quid diſtingvatur realiter à Spiritu S. quia non habebit communicatam ſibi ſpirationem Activam per quam

quam ſolam diſtingveretur realiter: ſiquidem per hanc ſolam opponeretur relativè ſpirationi paſſivæ ſeu Spiritui S. cùm juxta axioma Theologicum ex SS. Patribus deſumptum: *In Divinis omnia ſunt idem realiter inter quæ non datur oppoſitio relativa*, ſcilicet ſaltem mediata, uti mediatè opponitur Paternitas ſpirationi paſſivæ, mediante ſpiratione Activa ſibi identificata, per quam ſpirationem Activam identificatam opponitur relativè immediatè Paternitas ſpirationi paſſivæ, quæ ſpiratio Activa non eſſet identificata Filio, utpote non communicata eidem à Patre, ideòq; etiam ne mediatè opponeretur relativè ſpirationi paſſivæ Filius. Et licet ſi Spiritus S. procederet à ſolo Filio, adhuc opponeretur relativè mediatè Patri tanquam principio Filii, ſicut nepos opponitur avo, id tamen dici de Filio non poſſet; ſiquidem in ſuppoſitione quòd non haberet ſpirationem Activam communicatam à Pa-

tre, neque produceret Spiritum, nec produceretur ab illo, ut ſupponitur, nec produceret Patrem, tanquam principium Spiritûs ſancti; adeòque Filius nec immediatè opponeretur relativè, nec mediatè hac mediata oppoſitione relativa altera quaſi avi reſpectu nepotis.

Ratio 2. eſt. Spiratio activa ſeu Spirator, juxta Græcos Anti-Latinos, identificatur realiter adæquatè ſoli Patri. Ergo quidquid dicitur de Patre, dici debet de Spiratore; & è converſo, quidquid dicitur de Spiratore, dici debet de Patre, juxta illud principium Dialecticum. *Dici de omni*, quod etiam in divinis patet valere; quidquid enim dicitur in ſenſu reali de divinitate, idem dici realiter debet de Omnipotentia, Sapientia, & aliis realiter adæquatè identificatis cum divinitate, puta ſi dicitur de divinitate quòd ſit æterna, immenſa, ens neceſſarium ſimpliciter, etiam de Omnipotentia, Sapientia & aliis

liis realiter adæquatè identificatis cum divinitate, idem dici debet. Subſumo: Atqui de Patre dicitur quòd referatur ad Filium tanquam ad ſuum terminum, quòd ſit generans Filium, quòd ab illo ſolo ſit Filius: Ergo etiam de Spiratore debet dici in ſenſu reali, quòd Spirator realiter referatur ad Filium tanquam ad ſuum terminum; item quòd Spirator ſit generans Filium, quòd ab illo ſolo ſit Filius. Rurſꝰ de Spiratore dicitur quòd referatur ad Spiritum S. tanquam ad ſuum terminum oppoſitione relativa immediata oppoſitum; item quòd Spirator non ſit generans Filium ſed ſpirans Spiritum S. quòdque non referatur relatione immediata ad Filium tanquam ad immediatum ſuum terminum: Ergo idem dici debet de Patre in ſenſu reali, quòd ſcilicet Pater realiter loquendo referatur relatione immediata ad Spiritum S. tanquam ad ſuum immediatum terminum; item quòd Pater realiter non ſit generans

Filium, ſed ſpirans Spiritum S. quodq́; non referatur relatione immediata ad Filium tanquam ad immediatum ſuum terminum. Ex his autem ſequitur 1. quòd Filius ſit Spiritus, & Spiritus S. ſit Filius: Filius enim procedet ab eo realiter, qui non eſt generans ſed ſpirans Spiritum S. quod eſt eſſe Spiritum S non Filium. Item Spiritus S. procedet à ſpiratore qui realiter eſt generans Filium & à quo ſolo eſt Filius: procedere autem à tali eſt eſſe Filium. Sequitur 2. Quòd Filius non ſit à ſolo Patre, ſed & à ſpiratore; itemq́ue quòd Spiritus S. non ſit à ſolo ſpiratore, ſed & à Patre: cùm Pater & ſpirator ſit idem realiter adæquatè: ideòque qui procedit ab uno prædicato ex his, procedit realiter ab altero, realiter adæquatè identificato, & ſic ab utroque, ut patet in Animali & rationali Petri. Sequitur 3. Quòd de Patre verificentur contradictoria Phyſica, itemq́ue de ſpiratore. Nam de Patre dicitur quòd ſit generans

rans Filium, de ſpiratore verò quòd non ſit generans Filium, ſed ſpirans Spiritum S. imò & de eodem Spiratore verificantur contradictoria Phyſica quia de eodem Spiratore dicitur ex conceſſis quòd ſit generans Filium realiter loquendo, cùm Spirator ſit idē realiter adæquatè cum Patre qui eſt generans Filium; & ſimul non ſit generans Filium, cùm ſpirator non ſit generans Filium, ſed ſpirās Spiritum S. utiq; realiter.

Quodſi neges hæc poſſe dici de Patre & ſpiratore, iterum ex hoc ipſo ſequitur, falſificari in divinis hoc principium *Dici de omni*, adeoq; ulterius ſequitur poſſe dici de Omnipotentia Dei quòd ſit æterna, immenſa, &c. Licet hæc prædicata dicantur de Deitate realiter adæquatè identificata Omnipotentiæ DEI. Rurſus ſequitur, quod de Patre & ſpiratore realiter adæquatè identificatis ſecum juxta Græcos Anti-Latinos, verificentur alia contradictoria Phyſica: Nempe de Patre veri-

verificatur hoc contradictorium, *quòd referatur immediatè ad Filium*; de Spiratore autē verificatur hoc contradictorium, *quòd non referatur immediatè ad Filium, idq; realiter loquendo.* Verificari autem duo contradictoria physica de duobus realiter adæquatè ſecum identificatis, videant Græci Anti-Latini quantum ſit abſurdum in Philoſophia & Theologia; aut ſi id in ſua videre non poſſunt, videant & legant in libris Philoſophicis & Theologicis univerſaliter extra materiam propoſitam procedentibus. Alia cuique relinquo conſequenter inferenda æquè vel magis abſurda, ex conceſſo Antecedente à Græcis Anti-Latinis, quod toties in ſuis libris concedunt, dum dicunt & ſcribunt Spiritum S. à ſolo Patre procedere, & vim ſpirandi activè Spiritum S. non eſſe in Filio, ſed in ſolo Patre, quod eſt ſpirationem Activam & Spiratorem identificari ſoli Patri; ſicut vim generandi eſſe in ſolo

Patre,

Patre, eſt Generationem Activam, & Generantem ſeu Patrem, identificari ſoli Patri, adeòque adæquatè ut patet ex terminis his ipſis, & ſimilibus.

Ratio 3. Quod vera Eccleſia Chriſti proponit eſſe de fide, illud eſt de fide omnino credendum. Sed Spiritum S. procedere à Patre & Filio, vera Eccleſia Chriſti proponit eſſe de fide: Ergo Spiritum S. procedere à Patre & Filio eſt de fide omnino credendum. Major patet ex illo S. Pauli quòd Eccleſia ſit *Columna & Firmamentum Veritatis*, utique ſemper & non tantum ſemel, utpote cui promiſſum illud *Spiritus S. docebit vos omnia*, &; Ego vobiſcum ſum usq; ad conſummationem ſeculi. Minor probatur ſic: Romana ſeu Catholica Eccleſia proponit eſſe de fide Spiritum S. procedere à Patre & Filio: Atqui vera Eccleſia Chriſti eſt Romana ſeu Catholica Eccleſia illaque ſola. Ergo. Major immediata probatur ex Symbolo quod publicè credendum propo-

proponitur & cantatur in Ecclesia Romana seu Catholica per totum orbem dispersa. Minor constabit infra ex Quæstiuncula 3. Alias rationes invenies si quæras, solidas & infractas in aliis libris circa hoc punctum procedentibus. Nunc à me breviter hìc procedente

Objectiones Solvuntur.

Objicitur 1. Symbolum nostrum, in quo Græci de Spiritu S. dicimus: *Qui à Patre procedit*, est conformius Evangelio; siquidem in illo verba hæc de Spiritu S. ita ponuntur ut sunt in Evangelio, nec quidquam illis additur, sicut additur à Latinis particula *Filioq;*. Ergo nostra fides de processione Spiritûs sancti est bona, cùm sit conformis Evangelio, & Latinorum est mala, uti disformis Evangelio. Hoc argumentum objectum mihi à quodam Græco Anti-Latino, vocatumque est ab illo insolubile à Latinis. Respondi ego & respondeo, hoc argumentum nihil valere

lere contra Latinos, cùm sit facilè multis modis solubile. Nam

1 Solubile est unicâ hâc voce *Consubstantialis*, seu à pari: sicut enim est conformius Evangelio Symbolum: in quo etiam Græci addunt hanc particulam *Consubstantialis*: ita est conformius Evangelio Symbolum in quo additur particula *Filioq;*; adeòque symbolum in quo non additur particula *Filioq;* non erit conformius Evangelio.

2. Solubile est unicâ negatione Antecedentis quod nego. Tum quia conformius est Evangelio symbolum Latinorum in quo additur particula *Filioq;*, sicut conformius est Evangelio symbolum in quo additur particula *consubstantialis*, ut dictum à pari; & quia Christus D. non addidit particulam *à solo* adeòque seipsum non exclusit à Patre, & cùm dicat: *Omnia quæ habet Pater mea sunt*, habet etiam vim activam spirandi Spiritum S. sicut illam habet Pater, ut supra deductum.

Tum

Tum quia conformius eſt Evangelio illud ſymbolum, quod eſt juxta ſenſum SS. Patrum, Conciliorum, & totius Eccleſiæ per totum orbem diſperſæ, ut patet. Atqui ſymbolum cum particula *Filioq́ȝ* eſt juxta ſenſum SS. Patrum, Conciliorum, & totius Eccleſiæ per totum orbem diſperſæ, ut breviter hic oſtenſum eſt. Ergo ſymbolum cum particula *Filioq́ȝ* eſt conformius Evangelio. Tum quia Antecedens objectionis favet Hæreticis, eſtq́ue ſimile argumentis illorum ex ſola litera Evangelii & Scripturæ argumentantium & rejicientium verbum Dei traditum, ſeu traditiones & interpretationes ac ſenſum SS. Patrum, Conciliorum, & totius Eccleſiæ Catholicæ quæ eſt Columna & Firmamentum Veritatis. Tale autem Antecedens negandum eſt, ideòq; negatur.

3. Solubile eſt unica diſtinctione hac: Symbolum] noſtrum &c. eſt conformius Evangelio, quoad ſolam literam,

Transeat Antecedens, quoad sensum legitimum, negatur Ant. Nempe vos Græci Anti-Latini, hæc verba quæ dicitis esse Evangelii *Qui à Patre procedit* intelligitis & creditis in sensu exclusivo excludente Filium à Patre, quoad spirationem Activam: hic autem sensus non est legitimus, cùm non sit juxta SS. Patres, Concilia & Ecclesiam Catholicam, ut ex dictis constat. Dixi *Transeat* Ant. Quia etiam in litera implicitè continetur particula *Filioq;*, cùm à Christo D. non sit addita particula exclusiva *à solo*, & cùm alius textus Evangelii: *Omnia quæ habet Pater mea sunt*, doceat vim spirandi activè Spiritum S. competere Filio, ut probatum est: At objiciens ursit &

Dixit I. non de Consubstantialitate nostrum procedit argumentum: dum igitur respondetur per ly *Consubstantialis*, non respondetur ad propositum. Respondi, argumentum à pari, cùm inferat propositum, per illud re-

ſpondetur ad propoſitum. Reſpondi, argumentum à pari, cùm inferat propoſitum per illud reſpondetur ad propoſitum. Dum igitur ego à ly *Conſubſtātialis* argumentor à pari, & infero propoſitam particulam *Filioq;* licitè potuiſſe addi ad explicandum Evangelium, reſpondeo ad propoſitum.

Dixit 2. Datur facilè diſparitas ad ly *Conſubſtantialis*, quia hic terminus oſtendi poteſt in Evangelio, in illis verbis: *Ego & Pater unum ſumus:* illam autem particulam *Filioq;* nunquam mihi oſtendes in Evangelio. Reſpondi, *Pater & ego unum ſumus*, non eſt idem ad literam quod ly *Conſubſtantialis*. An autem ſit idem, quoad ſenſum & implicitè, hoc quidem docet Eccleſia contra Arrianos, & ideò authoritate ſuâ tanquam *Columna Veritatis* addit explicitè in ſymbolo ly *Conſubſtantialis*: ſed hoc idem dicam de particula *Filioq;*, quòd non ſit ad literam in Evangelio, eſt tamen quoad ſenſum & implicitè, ita præſertim interpretante & addente ſuâ au-

thoritate Ecclesiâ explicitè ad ſymbolum eandem particulam *Filioq́;*. Nulla ergo adfertur diſparitas, nec adferetur unquam, ad hoc meum argumentum à pari, ideòq́ue illud manet verè inſolutum & inſolubile.

Ob. 2. Non eſt in authenticis libris SS. Patrum Græcorum quòd Spiritus S. procedat à Filio, vel ex Filio. Reſpondeo 1. Patet ex citato textu S. Baſilii, qui à me cum Græco lectus eſt & non negatur, nec poteſt negari. Idemq́ue de S. Cyrillo Alexandrino & aliis, ſi legantur à Græcis. Reſpondeo 2. Et unde illæ Græcorum Anti-Latinorum diſtinctiones & explicationes SS. Patrum, quòd ſcilicet dicant Spiritum S. procedere à Filio ad extra non ad intra? Reſpondeo 3. Satis eſt quod SS. Patres Græci dicant expreſsè Spiritum S. procedere à Patre per Filium. Hoc enim ipſo loquuntur alia phraſi eundem ſenſum, quòd Filius ſit Cauſa Spiritûs ſancti ad intra, ut illos interpretatur & vult intelligi Florentinum, ut patet ex ipſius definitione, & ut eſt ſu-

pra deductum ex ista ipsa particula *Per.*

Alias objectiones copiosè solutas habes jam in libris editis hac de materia. Et universaliter ad omnes hanc unam tene responsionem, quòd illas audiat, legat & videat in libris Ecclesia Catholica per totum orbem dispersa, nihilominus per tot jam secula cansa, nihilominus per tot jam secula cantat in Symbolo particulam *Filioq́;*, cantabitq́ue quia *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam*, juxta promissum Christi D.

QUÆSTIUNCULA II.

An Romanus Pontifex sit Caput Ecclesiæ.

RESP. Licet multis rationibus & argumentis probetur ab Authoribus in libris editis contra Lutheranos & Calvinistas, Primatus Romani Pontificis, quia tamen ex mutuo cum Græcis

eis Anti-Latinis colloquio intellexi, quòd illi non negent Romano Pontifici Primatum quoad ſedem, unde etiam concedunt & vocant Protothronon ſeu Primum thronum hanc ſedem quoad ordinem & dignitatem inter Patriarchias, ſed potiſſimam ponant difficultatem circa hanc appellationem Romani Pontificis quâ appellatur *Caput Eccleſiæ*, quod ſignificat ſupremam jurisdictionem, authoritatem, & poteſtatem, quam tamen, inquiunt, æqualem habent omnes Patriarchæ, ſicut habuerunt omnes Apoſtoli; ideò ex occaſione hac intentio mea eſt, Primatum Romani Pontificis quoad ſupremam jurisdictionem, authoritatem & poteſtatem ſtabilire, ex hac unica ratione appellationis quòd vocetur & ſit *Caput Eccleſiæ*. Solùm verò in hac brevi Quæſtiuncula, breviter colligam clara circa hoc nomen teſtimonia SS. Patrum Græcorum & Conciliorum. Sit noſtra Catholica

Propositio.

Romanus Pontifex est Caput visibile totius Ecclesiæ Christi.

Probatur. S. Basilius Epist. 69. & 70. Damaso Papæ scribens, ait: Unius corporis membra sumus, non dicat *Caput* pedibus, non estis mihi necessarii. Et epist. 77. Si vos esse Ecclesiæ *Caput* agnoscitis, non potest *Caput* dicere pedibus non estis mihi necessarii. En S. Basilius Romanum Pontificem Damasum appellat *Caput Ecclesiæ*, & alios ad ipsum Christi fideles etiam seipsum comparat ut membra, qua sua locutione & hanc illi appellationem tribuit manifestè S. Basilius quòd sit *Caput Ecclesiæ*, & supremam authoritatem ac potestatem, in ipso agnoscit, sicut Caput in membra habet authoritatem, potestatem, jurisdictionem & regimen, ut ipsa faterentur membra si loqui possent, nos autem experientiâ novimus.

S. Cyrillus Alexandrinus in Thesauro

ſauro ſic inquit : debemus nos qui membra ſumus *Capiti noſtro* Romano Pontifici, & Apoſtolicæ Fidei adhærere. En & iſte Romanum Pontificem vocat *Caput*, ſe & omnes Chriſti fideles membra, quæ reguntur authoritate & poteſtate Capitis, & non tantum primum locum dant Capiti, ut experientia nos docet quotidiana. Contra quam ita notam dicerent Sanctus Baſilius & S. Cyrillus, ſi ita abſolutè & ſine ulla exceptione compararent Romanum Pontificem *Capiti*, fideles verò *membris*, ſi hos authoritate, poteſtate, jurisdictione Romani Pontificis gubernari non intelligerent.

Alios SS. Patres & Concilia, quæ exſtant jam citata in libris, brevitatis gratiâ omitto. Unum mihi interea ſufficiat Concilium Chalcedonenſe, quod ut ſacroſanctum venerantur, uti par eſt, Græci Anti-Latini. In hoc Concilio 600. Patrum Actione prima teſtantur expreſsè Patres in hæc verba : *Beatisſimi*

atq; Apostolici Viri Papæ Urbis Romæ quæ est Caput omnium Ecclesiarum præcepta habemus. Item in eodem Concilio lecta est Epistola S. Leonis Papæ ad Flavianum, quam illi sexcenti Patres audientes exclamârunt: *Hæc est Fides Patrum nostrorum. Hæc est Fides Apostolica. Omnes ita credimus. Orthodoxi ita credimus. Anathema qui non credit sic. Petrus per Leonem locutus. Ita Apostoli docuerunt.* Idem Concilium scripsit misitq; epistolam per Legatos ad Leonem Papam petens ab eo confirmationem Concilii Chalcedonensis, in qua epistola Patres illi appellant se *Filios Leonis Romani Pontificis*, & ad Leonem hæc dicunt: *Tu sicut Caput membris præeras.* Et iterum dicunt: *Post Deum Leo judicavit.*

Ex hoc tam venerabili etiam Græcis Anti-latinis Concilio sic argumentor: Vel illa Ecclesia in Concilio Chalcedonensi congregata, sequendo Leonis Papæ

pæ doctrinam, illique adhærendo, & tantis titulis eum appellando, potuit errare vel non? Si potuit errare: Ergo illa Ecclesia in Concilio Chalcedonensi congregata, non fuit vera Ecclesia Christi; siquidem vera Ecclesia Christi non potest errare in Fide, cùm sit *Columna Veritatis*, adversus quam *portæ inferi non prævalebunt*. Si non potuit errare:

Infero: Ergo illa Ecclesia est vera Ecclesia Christi, quæ cum Concilio Chalcedonensi veneratur Ecclesiam Urbis Romæ seu Romanam *tanquam Caput omnium Ecclesiarum*, ab illaque *præcepta* recipit, & quæ in Romano Pontifice *Fidem Patrum, Fidem Apostolicam* agnoscit, ac *Petri Sedem*, Sedem Romanam profitetur, & ex ea *Petrum Apostolum loquentem per Sedis Romanæ Pontificem audit*, eundemque Pontificem Sedis Romanæ veneratur ut *Doctorem, Patrem, & Caput totius Ecclesiæ*. Nempe hic est spiritus genuinus veræ Eccleleſiæ Christi,

ſti, quæ errare non poteſt, qualis fuit defacto congregata in Concilio Chalcedonenſi. E contra verò illa Ecclesia, non eſt vera Eccleſia Chriſti, quæ cum Concilio Chalcedonenſi non veneratur &c. Siquidem talis Eccleſia eſt contraria veræ Eccleſiæ Chriſti, cùm ſit contraria illi Eccleſiæ congregatæ in Concilio Chalcedonenſi, quæ fuit vera Eccleſia Chriſti.

Infero 2. Ergo non poteſt in hoc error eſſe, venerari Eccleſiam Romanam uti *Caput omnium Eccleſiarum* ab illa & illius Pontifice *Præcepta accipere*, in eodem *Fidem Patrum*, *Fidem Apoſtolicam* agnoſcere, & Petrum Apoſtolum loquentem audire, eundemq́ue ut *Doctorem*, *Patrem*, *& Caput totius Eccleſiæ* habere. Aliàs, ſi in hoc potuiſſet eſſe error, potuiſſet in hoc errare Concilium Chalcedonenſe, adeòq́ue in illo congregata Eccleſia non fuiſſet vera Eccleſia Chriſti; conſe-

quen-

quenter illud Concilium justè fuisset rejectum & rejiciendum ab Eutichianis.

Infero 3. Ergo in hoc non potest esse error, quòd Romanus Pontifex, sit *Doctor, Pater & Caput totius Ecclesiæ*. Aliàs enim si in hoc posset esse error, potuisset in hoc errare tota Ecclesia congregata in Concilio Chalcedonensi.

Infero 4. Ergo infallibile est quòd Romanus Pontifex sit *Doctor, Pater & Caput totius Ecclesiæ*. Tum quia infallibile est illud in quo non potest esse error, ut patet. Tum quia si non esset hoc infallibile posset in hoc error esse contra illatum præcedens.

Infero 5. Ergo defacto infallibiliter Romanus Pontifex est *Doctor, Pater, & Caput totius Ecclesiæ*. Siquidem hoc infallibile est

illum

illum esse talem, quod non esset in-fallibile, si non esset defacto infallibiliter talis, sed nonnisi fallibiliter, jam enim esset fallibile illum esse talem, cùm ab actu ad potentiam valeat argumentum viâ affirmativâ.

Infero. 6. Ergo Romanus Pontifex docens Ecclesiam totam, errare non potest. Tum quia aliàs potuisset errare Concilium Chalcedonense, si Romanus Pontifex illud docens potuisset errare. Tum quia hinc sequeretur etiam S. Petrum Apostolum, adeòque & Ecclesiam supra Petrum fundatam potuisse errare, si Romanus Pontifex per quem Petrus Apostolus juxta Concilii Chalcedonensis testimonium loquitur, errare possit; sicque portæ inferi prævalerent adversus hanc Ecclesiam supra Petrum à Christo ædificatam, quod est contra promissum Christi.

Infero 7. Ergo Romanus Pontifex docens totam Ecclesiam est *infallibilis*

Doctor

Doctor totius Ecclesiæ; ſiquidem docens totam Eccleſiam errare non poteſt, ut illato præcedenti deductum. Alia ex his inferenda prudenti lectori relinquo. Interim ad hæc teſtimonia adducta

Reſpondent 1. Græci Anti-Latini. Hæc teſtimonia adducta ſolùm probant Primatum Papæ quoad ordinem & dignitatem ſedis, non autem quoad poteſtatem, authoritatem & jurisdictionem.

Contra eſt 1. Quia ut dictum SS. Patres appellant Romanum Pontificem *Caput Eccleſiæ*, ſe autem *membra*: Caput autem in mēbra habet authoritatem & non ſolum dignitatem ordinis. Contra 2. Quia *poſt DEum judicare*, *præcepta dare* eſt habere vim authoritatis, poteſtatis, jurisdictionis; ſed Concilium Chalcedonenſe teſtatur Romanum Pontificem *poſt Deum judicare, præcepta dare* cùm dicit: *Poſt Deum Leo judicavit: Beatisſimi Papæ Urbis præcepta habemus:*

Ergo

Ergo Concilium Chalcedonense testatur Pontificem Romanum habere vim authoritatis, potestatis, jurisdictionis. Contra 3. Romanus Pontifex juxta Concilium Chalcedonense, est Pater & omnes Patres Concilii Chalcedonensis sunt Filii Romani Pontificis: Ergo Romanus Pontifex juxta Concilium Chalcedonense, non tantum habet primatum ordinis & dignitatis, sed etiam habet primatum authoritatis, potestatis, jurisdictionis: sicut Pater inter Filios non tantùm habet primatum ordinis & dignitatis; sed & primatum authoritatis, potestatis & jurisdictionis.

Respondent 2. Ut à quodam ex ipsis magnæ authoritatis apud ipsos audivi: Concilium Chalcedonense hoc dixit adulando Romano Pontifici & leniendo dolorem ipsius, quem habuit ex Dioscoro illum excommunicante, & variis modis ipsi resistente cùm etiam idem Concilium Chalcedonense vocaverit Leonem Pontificem Romanum

manum Custodem vineæ Domini, se autem Patres appellârunt vineam dicentes: *Nos vinea Domini sumus cujus tu Custos es*: & tamen unusquisq; Episcopus est Custos vineæ suæ, scilicet Ecclesiæ quam gubernat ut Episcopus. Contra 1. Dixi & dico: itane Concilio Chalcedonensi adulatio & consequenter hypocrisis & non veritas competit in suis dictis & scriptis? Contra 2. Concilium Chalcedonense adulando sive leniendo dolorem Leonis vel verum dixit, vel falsum appellando illum Caput Ecclesiæ? si falsum dixit: quid dicent Eutychiani & alii hæretici? & quomodo fuit Ecclesia Christi? &c. Si verum dixit: Ergo adhuc Romanus Pontifex est verè *Caput Ecclesiæ*. Contra 3. Ex ore tuo Græce Anti-Latine te judico & contra te arguo sic: Vinea Domini fuerunt Patres in Concilio Chalcedonensi congregati, & Romanus Pontifex illius vineæ Custos, ut tu dicis: Ergo Romanus Pontifex habuit authoritatem, potesta-

testatem, & jurisdictionem in Concilium Chalcedonense; sicut habet omnis Custos in vineam. Unde etiam ex hac jurisdictione, Concilium Chalcedonense testatur se Beatissimi Papæ urbis Romæ *præcepta habere* & quòd *Post DEum Leo judicaverit*.

Respondent 3. S. Paulus ad Coloss. 1. dicit de Christo D. *Et ipse est Caput Corporis Ecclesiæ.* Et ad Ephes. 5. *Christus Caput est Ecclesiæ.* Ergo non Papa Romanus. Et licet hoc dixerit de illo Concilium Chalcedonense, dixit id vel leniendo dolorem ipsius, ut dictum, vel quòd esset Caput Ecclesiæ suæ Latinæ in qua erat Patriarcha. Contra 1. est. Concilium Chalcedonense & legit & benè scivit hos textus S. Pauli ad Coloss. 1. & ad Ephes. 5. & nihilominus Leonem Pontificem agnoscebat & testabatur esse *Caput suum*, id est, totius Ecclesiæ Christi, neque in hoc errare potuit, aliàs non fuisset vera Ecclesia

clesia Christi, ut probatum est. Ergo neque nos erramus in hoc, nec contradicimus S. Paulo Apostolo.

Contra 2. Non tantùm Episcopi Latini, sed totum Concilium Chalcedonense vocat Leonem Papam *Caput suæ Eccclesiæ tunc congregatæ*: Totum autem Concilium illud erat congregatum ex Patribus non solùm Latinis, sed & Græcis, ut ipse locus Concilii manifestat: Ergo vocat Leonem Pontificem Romanum, non tantùm Latinæ, sed & Græcæ ac totius Ecclesiæ Caput, idq́ue non leniendo dolorem, nec falsum dicendo, ut supra expositum: Ergo verè sic appellando. Contra 3. Sicut Concilium Chalcedonense Romanum Pontificem vocabat Patrem, & omnes Patres illius Concilii appellabat illius Filios; licet Christus dixerit: *Nolite vobis vocare Patrem super terram; unus enim est Pater vester qui est in cælis:* ita potuit vocare eundem Romanum Pontificem Caput

Ecclesiæ, licet S. Paulus Christum dicat esse Caput Ecclesiæ. Nempe Pater qui est in cœlis, est Pater invisibilis, & à quo omnis Paternitas descendit, ideòque ab illo dependet, & sic illi subordinatur: Pater autem Ecclesiæ & Concilii Chalcedonensis Leo Papa fuit Pater visibilis, dependens à Patre cœlesti per virtutem participatam ab illo, illiq́; subordinat9; in moralib9 autē, quod est subordinatū alteri non est contrarium ipsi, censeturq́; moraliter unum cum illo, ideòq́; talia subordinata, & subordinātia moraliter non faciunt duo, ut Rex & Pro-Rex subordinat9 Regi nō constituunt duos Reges in eodem regno. Et certè dum S. Paulus 1. ad Cor. 11. dicit: *Omnis Viri Caput est Christus: Caput autem mulieris Vir: Caput verò Christi Deus*, sequeretur, quòd quælibet uxor subsit tribus diversis capitib9, & tria super se diversa Capita habeat à quibus gubernetur, scilicet Virum, Christum, & Deum, si hi omnes non sunt unum Caput morale

ratione

ratione ſubordinationis. Idem igitur dicimus de Romano Pontifice, quòd nimirum ſit Caput Eccleſiæ viſibile viſibiliter ſeu ſenſibiliter gubernans membra totius Eccleſiæ, ſicut gubernabat Leo totam Eccleſiam in Concilio Chalcedonenſi congregatam per Legatos ſenſibiles, & epiſtolam ſenſibilem: Et quòd ſit Caput ſubordinatum Chriſto Capiti inviſibili Eccleſiæ, per inviſibilem gratiarum influxum influentis in Corpus Eccleſiæ, & ſic inviſibiliter gubernantis Eccleſiam: qui iterum Chriſtus ſubordinatur DEO proindeq́ue hi tres non faciunt tria diverſa Capita Eccleſiæ; neque hi duo Chriſtus ſcilicet & ejus Vicarius viſibilis ſeu Caput Vicarium viſibile, Romanus Pontifex faciunt duo diverſa Capita Eccleſiæ; ſicut Chriſtus & Pater æternus, cui Chriſtus ſubordinatur, non conſtituunt duo diverſa Capita Eccleſiæ.

Respondent 4. Hoc testimonium Concilii Chalcedonensis procedit tantùm de uno Pontifice Romano, scilicet de S. Leone. Ergo non habet extendi ad alios Romanos Pontifices. Contra 1. est. Si hoc vel uni Patriarchæ Græcorum attribuisset Concilium Chalcedonense, illumque appellâsset *Caput suum*, id est Ecclesiæ totius tunc congregatæ, quomodo illi triumphâssent de Latinis? Contra 2. Adduxi hìc non tantùm Concilii Chalcedonensis, sed & S. Basilii, & S. Cyrilli Alexandrini testimonia, qui diversis Pontificibus Romanis tribuebant nomen *Capitis* respectu Ecclesiæ etiam suæ id est Græcæ, cujus erant Episcopi: Ergo non uni Leoni id attribui potuit à Concilio Chalcedonensi, licet uni tantùm tunc præsenti de facto attribuerit hoc nomen idem Concilium. Contra 3. *Beatissimi atque Apostolici Viri Papæ urbis Romæ præcepta habemus*, dum dicit Concilium Chalcedonense, non loquitur de Leone ut hoc

ho-

hominè, sed de Papa urbis Romæ, seu de officio & Sede; testaturque habere præcepta ab illo, ut à Papa urbis Romæ. Ergo hoc attribuit non Leoni, sed Romano Pontifici, illumque agnoscit Legislatorem visibilem totius Ecclesiæ tunc congregatæ, & non alium alterius urbis. Contra 4. Concilium Chalcedonense dat hoc prædicatum Ecclesiæ urbis Romæ quòd sit Caput Ecclesiarum: Ecclesia autem urbis Romæ, semper est Ecclesia urbis Romæ: Adeóq; etiam semper est Caput Ecclesiarum, scilicet Christi; aliàs, alia erit nunc Ecclesia Christi congregata ex omnibus Ecclesiis, quàm fuit tempore Concilii Chalcedonensis, utpote quæ nunc haberet aliud Caput Ecclesiarum particularium aut illo careret ab illo, quod habuit & quo non caruit Ecclesia Concilii Chalcedonensis ex particularibus congregata. Sive autem titulus hic *Capitis* competat *Ecclesiæ* urbis Romæ, ratione Pontificis sedentis in ea Sede,

de, sive Pontifici ratione Ecclesiæ ninihilominus semper competere debet, ne Ecclesia Christi dicatur alia & periisse, quæ est Una, Sancta, Catholica, & Apostolica juxta symbolum Nicænum, & adversus quam portæ inferi non prævalebunt, juxta Evangelium quin sit duratura. Contra 5. Dum dicit Concilium Chalcedonense de Leone Pontifice Romano, ly *Tu sicut Caput membris præeras*. Apud illos Patres ly *Caput*, & ly *præeras*, significabat rationem dignitatis & officii, ratione cujus erat *Caput* & *præerat*, non autem significabat rationem personæ determinatæ hujus hominis seu hæcceitatem hujus hominis: tum quia ly *Tu* etiam apud Grammaticos significat solam personam; *at* ly *Caput* significat aliud & similiter ly *præeras*, cùm ly *Tu* possit esse absque ly *sicut Caput præeras*: tum quia posset consequenter dici quòd juxta sensum Concilii Chalcedonensis, dum dicit S. Paulus Christum esse *Caput Ecclesiæ*,

apud

apud S. Paulum ly *Caput Ecclesiæ*, non ſignificat rationem dignitatis & officii, ſed tantùm hæcceitatem hujus hominis qui eſt & dicitur Chriſtus. Quòd ſi ly *Caput* & ly *præeras*, ſignificat rationem dignitatis & officii: Ergo Concilium Chalcedonenſe appellavit S. Leonem Caput Eccleſiæ non ratione hujus determinatæ in individuo Perſonæ humanæ ſcilicet Leonis; ſed ratione dignitatis & officii, ſcilicet ratione Sedis & Epiſcopatûs Romani ſeu urbis Romæ. Atqui hæc ratio Sedis Romanæ eſt in quolibet Pontifice Romano. Ergo ratione hujus Sedis urbis Romæ quilibet Romanus Pontifex judicio Concilii Chalcedonenſis eſt *Caput totius Eccleſiæ præſidens membris* Eccleſiæ; adeòque hoc teſtimonium Concilii Chalcedonenſis procedit non tantùm de uno Pontifice Romano ſcilicet de Sancto Leone, ſed debet extendi ad alios Romanos Pontifices, Anteceſſores, & Succeſſores Sancti Leonis, uti

participes ejusdem rationis quòd sint Sedis urbis Romæ Episcopi.

QUÆSTIUNCULA III.

An Ecclesia Romana à Fide erraverit.

RESP. Hujus Quæstiunculæ status non est mihi cum Lutheranis & Calvinistis, sed solùm cum Græcis Anti-Latinis, cum quibus hîc Controversias habeo, & quidem id ab illis frequenter audio nobis Latinis Romanis objici. Sit igitur contrà Græcos Anti-Latinos Latino-Catholica nostra

Propositio.

Ecclesia Romana nunquam erravit à vera Fide, nec potest errare.

Omitto hic probationes quæ exstant in libris contra Lutheranos & Calvinistas, quoad hoc punctum procedentibus: aliquas tantùm urgebo ex SS. Patribus Græcis & Latinis, quos etiam

Anti-

Anti-Latini Græci debent admittere, nisi velint subjacere anathemati Conciliorum quæ ipsi recipiunt, & quæ anathematizant non recipientes SS. Patres Latinos Ambrosium, Augustinum, &c. Et nisi velint vel ex parte cum hæreticis rejicientibus SS. Patres Latinos, tenere; licet ex alia parte non rejiciant SS. Patres Græcos, quos etiam rejiciunt hæretici æquè ut Latinos. Addam etiam aliquid ex Conciliis. Igitur

Probatur 1. Ex SS. Patribus Græcis. S. Gregorius Nazianzenus, Carmine de vita sua, inquit: *Vetus Roma ab antiquis temporibus habet rectam fidem & semper eam retinet.* Item Epist. ad Chelidonium de Apollinaristis dicit: Si à Damaso recepti non sunt, probent; & nos contenti erimus: quia *manifestè* patebit eos esse orthodoxos, si verò ab Ecclesia Romana recepti sunt, *neq; aliter esse potest.* Ex his textibus

Infero 1. Ergo Ecclesia Romana

teris Romæ, nunquam erravit à recta fide, nec poteſt errare: quomodo enim verum dixiſſet S. Nazianzenus ly *Semper eam retinet*, ly *Neq; aliter eſſe poteſt*.

Infero 2. Ergo Eccleſia Romana eſt manifeſta Regula Fidei Orthodoxæ. Aliàs falſum eſſet S. Nazianzeni, ly *Manifeſtè patebit eos eſſe Orthodoxos.*

Infero 3. Ergo Eccleſia Romana eſt infallibilis Regula Fidei Orthodoxæ. Aliàs falſum eſſet S. Gregorii ly *Neq; aliter eſſe poteſt.*

Infero 4. Ergo Eccleſia Romana ſola eſt manifeſta & infallibilis Regula fidei orthodoxæ. Si enim non eſſet ſola talis, ſed poſſet alia extra illam dari, falſum eſſet S. Gregorii ly *neq; aliter eſſe poteſt*, poſſet nimirum aliter fieri, & aliter manifeſtè patere eſſe Orthodoxos, qui ab alia Eccleſia extra Romanam reciperentur, ſi hæc alia Eccleſia extra Romanam eſſet manifeſta & infallibilis Regula Fidei Orthodoxæ.

Infero 5. A Papa recipi, eſt recipi

ab

ab Ecclesia Romana. Patet ex textu.

Infero 6. A Papa receptos manifestè esse Orthodoxos & solos tales; aliàs non erit verum, ly *neq; aliter esse potest.*

Infero 7. Neminem posse esse Orthodoxum, nisi sit receptus à Papa veteris Romæ; aliàs falsum erit ly *neq; aliter esse potest.*

Infero 8. In solis à Papa receptis manifestè esse Fidem Orthodoxam; nec posse esse talem in non receptis à Papa; aliàs falsum erit S. Nazianzeni ly *manifestè patebit eos esse Orthodoxos*, & ly *neq; aliter esse potest.* &c.

Hinc patet à non supponente objici nobis Latinis Romanis à Græcis Antilatinis, quòd Ecclesia Romana erraverit addendo particulam *Filioque* ad Symbolum; cùm Ecclesia Romana, non possit errare, sitque manifesta & infallibilis Regula Fidei Orthodoxæ, & illi soli sint manifestè Orthodoxi, qui recepti sunt ab Ecclesia Romana, creduntque id quod illa cre-

credendum proponit. Hæc ex S. Nazianzeno ſint deducta.

S Baſilius Epiſt. 182. ad occidentales Chriſtianos ſcribens, inquit: Vos è cunctis mortalibus prædicamini, quòd *in finem illibati permaneatis, & Apoſtolicum depoſitum illæſum ſervetis.* Et ep. 1. in additis ait; Eccleſias Occidentales *immaculatam retinere Fidem, & inconcuſſam doctrinæ Apoſtolicæ ſtructuram conſervare.* Ex hoc utroque textu nonne manifeſtè ſequitur quòd Occidentalis Eccleſia ſeu Romana, nec unquam erravit à Fide & Doctrina Apoſtolica, nec poteſt errare; ſiquidem juxta S. Baſilium Occidentales ſeu Romani fideles, *immaculatam retinent Fidem, & inconcuſſam doctrinæ Apoſtolicæ ſtructuram conſervant, & in finem illibati permanent & Apoſtolicum depoſitum illæſum ſervant.* Nimirum, ſi erraret, vel poſſet errare, falſum eſſet S. Baſilii ly *in finem*, id eſt, usque ad finem, in perpetuum, perpetuò.

S Maximus Cœnobiarcha & Martyr, Epist. ad Marinum inquit: Omnes ubique terrarum, qui Christum Orthodoxa Fide confitentur, quasi ad Solem *æterni* luminis, ad Sanctissimam Romanorum Ecclesiam, & ejus Fidem intenti respiciunt, ex ipsa rutilantem splendorem recipientes sanctorum dogmatum, quemadmodum *sex Synodi sacræ*, disertis verbis & magna religione exposuerunt. Ab initio enim adventûs Incarnati Verbi, universæ terrarum Christianorum Ecclesiæ, à sancta Romanorum Ecclesia, originem habuêre, & fundamentum *solum* maximum, contra quod *nullo modo inferi prævalebunt*, juxta ipsius Salvatoris promissionem. En testimonio non unius tantum S. Maximi, sed sex Synodorum quas ille citat, Sanctissima Romanorum Ecclesia & Fides, dicitur *æterni luminis*. Ergo errare non potest. Rursus ab eodem S. Maximo dicitur, ly *solum maximum fundamentum, contra quod nullo modo inferi*

feri

feri prævalebunt. Ergo sola Ecclesia Romana errare non potest; aliàs non esset verum ly *æterni luminis*, & ly *solum maximum fundamentum*, & ly *nullo modo inferi prævalebunt*; adeòque nec esset vera ipsius Salvatoris promissio.

Probatur 2. Ex SS. Patribus Latinis. S. Cyprianus de unitate Ecclesiæ scribens ait: *Esse Martyr non potest*, qui in Ecclesia non est: cum Deo *manere non possunt*, qui in Ecclesia unanimes esse noluerunt. De qua id Ecclesia dicit, nonne de Romana in qua fuit Episcopus? & quomodo id universaliter verum esset, si hæc errâsset, aut errare posset. Idem lib. 1. Epist. 3. inquit: *Eos esse Romanos, ad quos perfidia habere accessum non possit.* En clarè Romana Ecclesia in fide errare non potest.

S. Hieronymus lib. 3. apolog. contra Ruffinum ait: Romanam fidem Apostolica voce laudatam ejusmodi præstigias non recipere; etiamsi Angelus aliter annunciet, quàm prædicatum est,

eſt, Pauli authoritate munitam, *mutari non poſſe*. Ergo nec errare à fide. In Epiſtola ad Damaſum Papam idem ſic ſcribit: Quoniam Oriens vetuſto inter ſe populorum furore colliſus, indiſciſſam Domini tunicam minutatim per fruſta diſcerpit &c. Ideò mihi Cathedram Petri, & Fidem Apoſtolico ore laudatam cenſui conſulendam &c: profligato à ſobole mala patrimonio, apud vos *ſolos incorrupta Patrum ſervatur hæreditas*. Et infra: Si quis Cathedræ Petri jungitur, meus eſt. Ego Beatitudini Tuæ, id eſt Cathedræ Petri communione conſocior. Super illam petram, ædificatam Eccleſiam ſcio. *Quicunq; extra hanc domum, agnum comederit, profanus eſt: ſi quis in Arca Noë non fuerit, peribit regnante diluvio.* Quomodo hæc adeò tremenda vera eſſent, ſic abſolutè à tanto Doctore prolata, ſi Romana Eccleſia erraverit, aut poſſet errare? nonne etiam in illa profanus eſſet & periret? nonne extra illam agnum comedere & ſalvari quis poſſet? S.

S Augustinus lib. 1. de symbolo ad Catechumenos c. 6. inquit: Ipsa est Ecclesia Sancta, Ecclesia una, Ecclesia vera, Ecclesia Catholica contra omnes hæreses pugnans: pugnare potest, *expugnari tamen non potest.* Hæreses omnes ex illa exiêrunt tanquam sarmenta inutilia de vite præcisa. Ipsa autem *manet* in radice sua, in vite sua, in charitate sua: *Portæ inferi non vincent eam.* Item lib. contra Epist. Manichæi cap. 5. ait: *Ego verò Evangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoveret authoritas.* Et l. 1. contra Cresconium inquit: *Quisquis falli metuit Ecclesiam consulat.* Et in Psalmum 57. scribit: In ventre Ecclesiæ veritas *manet*: Quisquis ab hoc ventre separatus fuerit *necesse est*, ut falsa loquatur. Quomodo verum essèt tanti Doctoris, ly *expugnari tamen non potest*, & ly *portæ inferi non vincent eam*, si errare posset à fide? qualis esset & quàm firma hæc *Ecclesiæ authoritas*, si ipsa Ecclesia erraret aut posset

ſet errare? & quomodo eadem eſſet conſulenda? nonne quilibet ab illa falli metueret? aut quomodo maneret in illa veritas, ſitque *neceſſe* ſeparatum ab illa falſa loqui? Hæc autem & tanta, utique S. Auguſtinus dixit de Eccleſia Romana, cujus fuit Doctor & Epiſcopus, & quæ eſt Catholica, ſeu per totum orbem diſpersa, & ex qua etiam his ſeculis exiêrunt hæreſes Lutherana, Calviniſtica, &c.

S. Gregorius Magnus in Pſal. 5. pœnitentialem, ait: Eccleſia dicta eſt terra; quia in ſoliditate fidei *perpetuâ firmitate immobiliter perſeverat.* Utique loquitur de ſua Eccleſia Romana, cujus erat Pontifex & Paſtor. Quæ quomodo verè diceret, ſi aut illa errare poſſet aut ipſe illam errare poſſe ſentiret? Idem lib. 14. Mor. c. 2. inquit, Sancta univerſalis Eccleſia prædicat ſalvari veraciter, *niſi intra ſe non poſſe*; aſſerens, quòd omnes, qui extra ipſam ſunt *minimè ſalventur.* Utique & hic de Ro-

mana Ecclesia, quia de universali seu per universum orbem dispersa, qualis semper est Romana, loquitur. Quomodo autem verum esset ly *non posse salvari nisi intra se*, si hæc erraret, aut errare posset à fide quæ est initium salutis?

Probatur 3. Ex Conciliis Oecumenicis. De his videatur imprimis testimonium S. Maximi supra relatum. Concilium Chalcedonense præterita Quæstiuncula 2. relatum vocat Ecclesiã Romanam *Caput omnium Ecclesiarum*, & ipsius Pontificem Leonem dicit *Patrem & Caput suum*, id est Ecclesiæ totius quæ erat tunc Chalcedone repræsentativè tota congregata in suis SS. Patribus: agnoscitque & confitetur Sedem Romanam esse Sedem Petri, ex qua Petrum locutum per Leonem tunc in illa sede sedentem dicit. Ex hoc igitur testimonio Concilii Chalcedonensis quod Græci Anti-Latini admittunt ut sacrosanctum & indubitatæ Fidei,

dei, Infero: Ergo Ecclesia Romana non potest errare in fide. Tum quia si Caput omnium Ecclesiarum erraret aut posset errare, quid sentiendum esset de aliis inferioribus membris. Tum quia, si Pater & Caput totius Ecclesiæ erraret, quomodo non errarent Filii qui obligantur ad audiendum Patrem? aut quomodo obligarentur ad audiendum errorem à Patre erroribus obnoxio? quàm hæc constitutio Ecclesiæ Christi esset infirma & errori obnoxia? Tum quia, Sedes Petri errare non potest in fide; quia illi promissum à Christo: *Portæ inferi* non prævalebunt adversus eam: adeòque Romana Sedes quæ est Sedes Petri juxta Concilium Chalcedonense, non potest errare à Fide.

Atque ex hoc quòd Ecclesia Romana errare non possit in Fide, inferri posset quòd Ecclesia Romana sit vera Ecclesia Christi; imò & sola talis, sicut sola non potest errare à fide ut

hic non semel deductum & patet etiam ex titulo *Capitis* quod solum unum debet esse in corpore non monstroso quale est Ecclesia Christi. Quia tamen ex hoc vicissim, quòd sola Romana Ecclesia sit vera Ecclesia Christi, infertur quòd sola non possit errare in fide, ad hoc stabiliendum, sit

QUÆSTIUNCULA IV.

An Ecclesia Romana hodie durans sit sola vera Ecclesia Christi.

RESp. Hæc Quæstiuncula est fundamentalis inter Quæstiones Controversas. Supposito enim quòd sola Romana Ecclesia sit vera Ecclesia Christi, sequitur necessariò quòd totum & solum sit de fide, quod illa docet; siquidem de fide esse debet, quod docet vera Ecclesia Christi. Ad hoc igitur fundamentum stabiliendum proponi.

ponitur hæc Quæstiuncula potissimùm contra Græcos Anti-Latinos. Sit ergo nostra Catholica

Propositio.

Sola Romana Ecclesia usque hodie durans, est vera Ecclesia Christi; adeòque soli illi qui sunt in illa, & qui tenent cum illa, illique adhærent, sunt in vera Ecclesia Christi, tenent cum vera Ecclesia Christi, adhærent veræ Ecclesiæ Christi.

Probatur 1. Cujus Ecclesiæ fides annuntiatur in universo mundo, illa est vera Ecclesia Christi. Atqui solius Ecclesiæ Romanæ usque hodie durantis Fides annuntiatur in universo mundo. Ergo sola Ecclesia Romana usque hodie durans, est vera Ecclesia Christi. Major patet ex Epist. ad Roman. cap. 1. ubi S. Paulus de vera Ecclesia Christi testatur dicens: Fides vestra annuntiatur in universo mundo. Minor etiam probatur; quia de sola Ecclesia Romana usque hodie durante, verificatur hoc

dictum S. Pauli: *Fides vestra annuntiatur in universo mundo*; Siquidem Sacerdotes annuntiantes Fidem Ecclesiæ Romanæ usque hodie durantis, sunt dispersi per totum orbem; sunt enim in Europa, Africa, Asia, America, in ipsa Græcia, Turcia, Perside, India, Japonia, China, Brasilia, ut patet ex tot historicis & oculatis testibus. Hæreticorum autem prædicantes, Judæorum, Turcarum, Ethnicorum, imò & Græcorum non sunt in universo mundo dispersi & annuntiantes Fidem; nam ubi Spiritum S. procedere à solo Patre, & non etiam à Filio, prædicatur in Hispania, Gallia, Germania, India, Japonia, China, America, &c.?

Pobatur 2. Ex qua Ecclesia etiam his seculis exeunt hæretici, qui tanquam portæ inferi pugnant adversus eandem nec tamen prævalent illa Ecclesia, est vera Ecclesia Christi. Sed sola Romana Ecclesia etiam hodie durans est talis. Ergo illa sola est vera Ecclesia

Chri-

Christi. Major constat ex 1. epist. Joann. cap. 2. Ex *nobis prodierunt, sed non erant ex nobis; nam si fuissent ex nobis, permansissent utiq; nobiscum sed ut manifesti sint, quoniam non sunt omnes ex nobis.* Item ex 1. ad Corinth. 11. *Oportet & hæreses esse, ut & qui probati sunt, manifesti fiant in vobis.* Et ex epist. 1. ad Timot. 4. *In novissimis temporibus discedent quidam à Fide.* Quod etiam hæretici isti essent oppugnaturi & non expugnaturi veram Ecclesiam Christi, patet ex Evangelio Matth. 16. *Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Minor quoq; patet; siquidem his etiam novissimis seculis exiêrunt hæretici ex Romana Ecclesia præsente usque hodie, Lutherus, Calvinus, Zwinglius & alii, pugnantque contra Romanam Ecclesiam tanto odio, ut ex libris ipsorum manifestum est. In pace autem relinquunt alias Ecclesias & præsertim Græcorum Anti-Latinorum; ubi enim contra hos illi tot tomi Chamieri, Kemni-

tii & tot Lutheranorum ac Calvinistarum, aliorumque hæreticorum? qui exstant editi contra Latinos Romanos seu Romanam Ecclesiam.

Probatur 3. Quæ Ecclesia audit Christum dicentem Marci. 16. *Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ*, & it in mundum universum, & prædicat Evangelium omni creaturæ, illa Ecclesia est vera Ecclesia Christi cùm sit eadem cum illa, cui locutus est Christus Marci. 16. quæ utique fuit vera Ecclesia Christi. Atqui sola Romana Ecclesia usque hodie durans, audit Christum, & it in mundum universum & prædicat Evangelium omni creaturæ, ut constat ex dictis in probatione prima. Unde de solis Romanæ Ecclesiæ Sacerdotibus, verificatur ad literam illa Prophetia Isaiæ ultimo cap. Et ponam in eis signum, & mittam ex eis qui salvati fuerunt, ad gentes in mare, in Africam & Lydiam, tendentes sagittam; in Italiam & Græciam,

ciam, ad Insulas longè, ad eos, qui non audiêrunt de me & non viderunt gloriam meam, & annuntiabunt gloriam meam gentibus, & adducent omnes fratres vestros de cunctis gentibus donum Domino. Ergo sola Ecclesia Romana usque hodie durans, est vera Ecclesia Christi.

Probatur 4. Ecclesia Catholica est sola vera Ecclesia Christi. Sed sola Ecclesia Romana usque hodie durans est Ecclesia Catholica. Ergo sola Ecclesia Romana est sola vera Ecclesia Christi. Major constat ex Symbolo Constantinopolitano: Et Unam, Sanctam, Catholicam & Apostolicam Ecclesiam. Deinde ex toto libro S. Augustini de unitate Ecclesiæ contra Donatistas. Minor probatur; quia sola Romana Ecclesia usque hodie durans ita ab omnibus etiam Hæreticis & Judæis appellatur; & per hoc nomen ab omnibus aliis Ecclesiis dignoscitur & discernitur;

& sola defactò verè per universum orbem dispersa est, adeòque sola Universalis verè & defactò seu actu, & non solùm de nomine, ut patet, nec tantùm potestate seu in potentia, ut quidam Græcus Anti Latinus dixit, de sua Ecclesia Græca Anti-Latina, quòd sit potestate in universo mundo; sed audivit etiam Lutheranam & Calvinisticam & Turcicam Synagogam esse potestate in universo mundo.

Omitto alias probationes facilè inveniendas in libris jam editis. Addo nonnisi revocandum quoque huc, illud Argumentum supra Quæst. 1. pro Concilio Florentino accomodatum, & his etiam materiis, mutatis verbis facilè accomodandum: Vel est de fide apud vos, quòd Ecclesia Romana erraverit, aut possit errare à fide, & quòd non sit vera Ecclesia Christi, vel non est de fide? Si est de fide: Ostendite Græci Anti Latini hunc Articulum Fidei vestræ, in quonam Concilio, & in

quibus

quibus SS. Patribus legatis determinatum. Si non eſt de fide, uti revera non eſt, cùm nihil tale poſſitis oſtendere, inferuntur contra vos illa mutatis terminis materiæ hic propoſitæ, quæ ibi ſunt illata ſub terminis Concilii Florentini. Et potius ex noſtris Propoſitionibus in hac & præcedenti Quæſtiuncula probatis, inferte: Ergò quidquid Romana Eccleſia uſque hodie durans proponit credendum, id de fide eſt nec in hoc errare poteſt. Et ſubſumite: Atqui Romana Eccleſia uſque hodie durans proponit credendum quòd Spiritus S. procedat à Patre & Filio, quòd Romanus Pontifex ſit Vicarius Chriſti, & Caput viſibile totius Eccleſiæ &c. &c. Ergo quòd Spiritus S. procedat à Patre & à Filio, quòd Romanus Pontifex ſit Vicarius Chriſti & Caput viſibile totius Eccleſiæ, &c. &c. eſt de fide.

QUÆSTIUNCULA V.

An Imagines Sanctorum sculptæ sint venerandæ?

RESp. Iconomachi & Iconoclastæ, quales fuerunt Judæi, Mahumetani, Magi, & ab his seducti aliquot Imperatores Orientales, ut Leo Isaurus, Constantinus Copronymus, Leo Armenus, & hos secuti Viclefus, Lutherus, Calvinus hæretici, omnes prorsus imagines Sanctorum sive pictas, sive sculptas rejecerunt & rejiciunt. Græci Anti-Latini recipiunt & venerantur Sanctorum imagines pictas, sed sculptas rejiciunt, & Romanos tam pictas quàm sculptas imagines Sanctorum recipientes & venerantes damnant & persequuntur. Contra quorum inconsequentem doctrinam, relictis antiquis Iconomachis & hæreticis ab aliis jam satis alibi refutatis, sit nostra Latino-Catholica

Pro-

Propositio.

Imagines Christi D. Deiparæ Virginis Mariæ, & aliorum Sanctorum, non tantùm pictæ, sed etiam sculptæ sunt venerandæ: ita ut inconsequenter loquantur & contra fidem, qui dicunt pictas imagines Sanctorum esse venerandas, non verò sculptas.

Probatur. Æquè de fide est, imagines sculptas Sanctorum esse venerandas, atque de fide est, imagines pictas Sanctorum esse venerandas. Ergo inconsequenter loquuntur, & contra fidem, qui negant sculptas imagines esse venerandas, & pictas dicunt & credunt esse colendas. Consequentia patet. Antecedens probatur; quia quæ argumenta desumpta ex S. Scriptura & Conciliis probant Cultum Imaginum pictarum esse licitum & de fide, eadem argumenta probant æquè Cultum Imaginum sculptarum esse licitum & de fide.

de. Sic enim, ut aliqua hìc breviter ſeligam,

1. Probatur Cultus imaginum pictarum ex illo Pſal. 98. *Adorate ſcabellum pedum ejus.* Scilicet in honorem & reverentiam ejus, à quo ſcabellum tangitur, & ad quem propter hunc attactum refertur. Atqui hìc textus S. Scripturæ æquè, imò potiori jure probat cultum licitum imaginum ſculptarum, quia illum directè probat; nam hoc ſcabellum non intelligitur pictum, ſed ex materia aliqua ſolida elaboratum & ſculptum; Sicut ly *Pedes ejus*, non intelliguntur ex vi literæ, picti ſed vivi; pedes autem vivi & non picti, in ſculpto ſeu elaborato, & artefacto ac vero ſcabello teneri ſolent, & non in imagine picta ſcabelli. Ergò.

2. Probatur Cultus imaginum pictarum ex eo, quòd Deus mandaverit fieri duos Cherubinos aureos productiles cum Arca fœderis; ſimiliter veſtes Sacerdotales, quæ omnia utique

non

non imagines pictæ erant, sed res ipsæ elaboratæ, & velut sculptæ, & tamen ob sanctitatem, quam res istæ habebant ex relatione ad Deum, cui primò convenit ratio Sanctitatis, plurimùm hæc omnia venerabatur populus Judaicus. Si ergo hinc deduci potest sacer cultus imaginis pictæ Christi ob relationem ad Christum, multò magis inferri potest cultus imaginum sculptarum ob eandem rationem, cùm ex his argumentum ducatur tanquam ex rebus sacro cultu honoratis, & elaboratis, ac quasi exsculptis, adeòque similioribus ipsis imaginibus sculptis.

3. Probatur cultus imaginum ex Numer. 21. ubi dicitur quòd Moyses fecerit serpentem æneum, eumq; erexerit in signum, quod quicunque aspexisset, sanaretur percussus à serpentibus. Atque hinc tanquam ex figura deducitur veneratio & observantia imaginis Christi Crucifixi, utique sculptæ & e-

& elaboratæ, ſicut ſerpens æneus fuit elaboratus non pictus.

4. Probatur ex 2. Nicæno Concilio, ſeu 2. Synodo Generali, quod definivit Cultum imaginum eſſe licitum, non excipiendo imagines ſculptas: imò dum teſtatur eundem Cultum ſacrum imaginum miraculis à Deo comprobatum in multis imaginibus, & inter alias in ſtatua Chriſti erecta à muliere Hemorrhoiſſa, ad quam ſtatuam fiebant miracula, hoc ipſo manifeſtè probat Cultum imaginum ſculptarum.

5. Concilium Tridentinum Seſſ. 25. decreto de Cultu Sanctorum, ſic de imaginibus loquitur ac decernit: Imagines porro Chriſti, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum, in templis præſertim habendas, & retinendas, eiſque debitum honorem, & venerationem impertiendam: non quòd credatur ineſſe aliqua in iis divinitas, vel virtus propter quam ſint colendæ, vel quòd ab eis ſit aliquid petendum; vel quòd

fiducia

fiducia in imaginibus sit figenda, veluti olim fiebat à gentibus, quæ in idolis spem suam collocabant; sed quoniam honor qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræsentant, ita ut per imagines quas osculamur, & coram quibus caput aperimus & procumbimus, Christum adoremus & Sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt, veneremur. Hæc Tridentinum. Atqui ista omnia æquè applicari possunt imaginibus sculptis atque pictis: unde etiam Tridentinum genericè posuit *imagines* non distingvendo inter pictas & sculptas. Ergo.

Neque dicas Concilium Tridentinum non recipi à Græcis Anti-Latinis cùm in illo non fuerint Græci. Contra enim est 1. Tali etiam modo respondent hæretici illud rejicientes, quòd in ipso non fuerint, quia esse noluerunt; nolle autem esse in Concilio Generali, hoc ipsum est nolle audire Ecclesiam, nolle esse in Ecclesia, sepa-

rare ſe ab Eccleſia, quales habendi ſunt pro Ethnicis & publicanis. 2. Saltem deberet recipi à Græcis, ut provinciale Concilium ſicut v. g. Hieroſolymitanum, Antiochenum &c. Ergo ſi illa recipiuntur à Græcis Anti-Latinis, etiam Tridentinum debet recipi ab iisdem. 3. Valet etiam hìc argumentum Quæſt. 1. prò Concilio Florentino accommodatum. 4. Si Græci Anti-Latini non admittunt Concilium Tridentinum: Ergo non damnant cum illo Lutheranos & Calviniſtas hæreticos: Ergo illis favent & adhærent: ſicut faveret & adhæreret Arrianis, qui non damnaret Arrianos cum Concilio Nicæno, ſed rejiceret illud. Neque reſpondeas ad hoc cùm quodam Græco Anti-Latino, quòd illi ſint damnati à SS. Patribus, ex quibus etiam Concilium Tridentinum illos damnavit.

Contra enim eſt, quia etiam contra Arrium ſcripſerant SS. Patres, & ſic contra alios hæreticos, & tamen non

hoc

hoc ipſo habebantur pro hæreticis, donec Concilium aliquod, aut Romanus Pontifex illos damnaverit ut tales, ut patet de Pelagio & aliis. Nempe SS. Patres & Scripta ipſorum ſunt veluti inſtigatores & teſtes contra hæreticos, ac non Judices. Judex autem ſolus eſt vel Eccleſia tota in ſe, vel in ſuo Capite, ut conſtat ex tot ante factis circa damnationem hæreticorum.

Objicitur 1. à Græcis Anti-Latinis. Exod. 20. dicitur; *Non facies tibi ſculptile.* Ergo non licet colere Imagines ſculptas.

Reſp. Eodem contextu dicitur ibidem: Non facies tibi ſculptile, *neque omnem ſimilitudinem*, adeóque nec Imaginem pictam, quæ etiam eſt aliqua ſimilitudo. Et tamen Græci Anti-Latini faciunt & adorant Imagines pictas. Quare non obſervant præceptum Dei de omni ſimilitudine non facienda, ſicut obſervãt de ſculptili? aut ſi illi in Imagine picta facienda non peccant, quare non? & quare Latini Romani peccabũt faciendo

 imagi-

imagines ſculptas? quid reſpondebunt hæc objicientibus Lutheranis & Calviniſtis, urgentibusq́; textum & doctrinæ inconſequentiam? Nos Romani illis & Græcis Anti-Latinis reſpondemus, quòd loco citato prohibeatur faciendum ſculptile & omnis ſimilitudo, adeòq́ue & imago picta, ut adoretur adoratione gentili ſeu idololatrica & ſuperſtitioſa, non prohibetur tamen id fieri ad cultum moderatum ſupra explicatum à Tridentino. Certè, Cherubini ſculpti ſeu productiles ex mandato Dei colebantur cum Arca, non cultu idololatrico & ſuperſtitioſo, ſed pio & moderato.

Objicitur 2. 4. Reg. 18. Ezechias Rex confregit imaginem ſerpentis æneí, qui jam cæperat coli à Judæis. Ergo & imagines ſculptæ non ſunt colendæ. Reſp. Ezechias Rex confregit imaginem ſerpentis æneí, non propterea, quia cæperat coli à Judæis cultu pio, moderato, ſed quia jam cæperat coli

ab

ab iisdem cultu idololatrico tanquam dolum. Jam verò Romani non colunt imagines sculptas ut idola, ut constat ex Tridentino & Nicæno 2.

QUÆSTIUNC. VI.
An à Latinis ritè baptizatus possit licitè baptizari à Græcis Anti-Latinis?

RESp. Non potest. Vel enim ritè baptizatus à Latinis, rebaptizatur à Græcis per immersionem in aqua seu ablutionem, & prolationem Formæ, ut ab aliquibus factum esse habemus indubia exempla hìc ubi hæc scribuntur inter Græcos Anti-Latinos, & sic peccatur contra fidem, & sacrilegii peccato, abutendo seu malè utendo Sacramento baptismi scilicet illud iterando, quod iterabile non esse Fides docet, quod ipsum ostenditur.

I. Quia in Evangelio dicitur de Baptismo:

1mo: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non intrabit in regnum cœlorum*. Ubi baptiſmus dicitur Renaſcentia in ſpiritu ſeu ſpiritualis, id eſt, Nativitas in vitam ſpiritualem. Semel autem homo naſcitur in vitam ſpiritualem, ſicut ſemel naſcitur in vitam corporalem.

2. Baptiſmus ſignificat mortem & ſepulturam Chriſti, in cujus ſangvine & morte baptizamur, & in quo & cum quo morimur peccato, & ſepelimur; ſublatique ab aqua baptiſmali, cum Chriſto reſurgimus in vitam æternam, ut conſtat ex Epiſtolis S. Pauli ad Rom. 6. & ad Coloſſ. 2. Atqui Chriſtus ſemel tantùm mortuus eſt, & ultra jam non moritur, ut ait idem Apoſtolus: Ergo etiam ſemel homo baptizari debet, & qui contrarium facit, peccat contra hunc articulum Fidei à S. Paulo Apoſtolo expoſitum.

3 Baptiſmus eſt inſtitutus ad tollendum peccatum originale, quod ſemel deletum nunquam redit, ut etiam ex Fide conſtat. Ergo qui ritè baptiza-

tos

tos iterum rebaptizant, peccant contra hanc Fidem.

4. Concilium Romanum ſub Melchiade Papa anno 313. item Florentinúm in Decreto Eugenii, & Tridentinum ſeſſ. 7. can. 9. & 11. anathematizant rebaptizantes eos qui ſunt ritè baptizati ſemel: Ergo rebaptizantes ritè baptizatos peccant contra tot Concilia, adeòq́ue peccant contra fidem ab his Conciliis circa hoc punctum contra hæreticos definitam.

Vel ritè baptizatus à Latinis, non rebaptizatur à Græcis Anti-Latinis per ablutionem & prolationem Formæ baptiſmi, ſed ſolùm per inunctionem, ut communiter jam modò faciunt. Et ſic etiam peccatur, ideòq́; & hoc fit illicitè à Græcis Anti-Latinis. Quòd verò etiam ſic peccatur, probatur. Tum quia hoc ipſum habetur à populo pro rebaptizatione, ſicq́ue peccatur peccato ſcandali. Tum quia id aliqui habent pro Sacramento Cõfirmationis, cùm ta-

men & hoc non ſit iterabile, poteſtq́; ill) confirmatus eſſe Latinus ille apoſtata ; miniſter etiam Sacramenti Confirmationis eſt Epiſcopus non ſimplex Sacerdos, quodtamen per iſtam inunctionem conferunt ſimplices Sacerdotes. Tum quia per hanc inunctionem videtur aut ſuppleri cerimonia baptiſmi, aut damnari baptiſmus ritûs Latini, quod utrumq́; non licet ; quia baptiſmus ritûs Latini quòd valeat eſt definitum in Concilio Florentino: Cerimonias quoque iterare jam ſemel factas in baptiſmo, eſt peccatum ſacrilegii. Tum quia ad iſtam inunctionem fiunt abſurda contra fidem & charitatem ; jubetur enim ſic rebaptizandus abjurare & renuntiare Sabbati jejunio, & Petro qui fuit Romæ , an S. Apoſtolo ? an Simoni Mago ? at iſte non Petrus. Quantum en odium Romanæ Eccleſiæ, exercetur publicè à Græcis Anti-Latinis in Eccleſia ipſorum

rum & administratione Sacramenti, vel quasi Sacramenti: non enim id faciunt nisi ex odio Romanorum. Quare enim non renunciant diabolo vel Arrio &c. &c.

QUÆSTIUNC. VII.
An Consecratio Eucharistiæ consistat in his verbis: Hoc est Corpus meum: &, Hic est Calix Sangvinis mei?

REspondetur. Contra quosdam ex Græcis Anti-Latinis, qui Consecrationem Eucharisticam ponunt in illis Liturgiæ S. Basilii verbis: *Fac Domine de pane isto honoratum Corpus Filii Tui* &c. Quæ verba S. Basilius ponit post verba Christi D. *Hoc est Corpus* &c. Sit nostra Catholica

Propositio.

Consecratio seu Forma Consecrationis Sacramenti Euchariſtiæ eſſentialiter conſiſtit in his ſolis verbis Chriſti D. Hoc eſt Corpus meum: &, Hic eſt Calix &c.

Probatur 1. Ex S. Scriptura. In Evangelio S. Matthæi: S. Marci: S. Lucæ: & in Epiſtola 1. ad Corinth. cap. 11. ubi deſcribitur inſtitutio Sacramenti Euchariſtiæ, non alia exprimitur Forma verborum, quibus Author & Inſtitutor hujus Sacramenti Chriſtus D. uſus eſt in Conſecratione, niſi prædicta: *Hoc eſt Corpus meum: Hic eſt Calix* &c. Ergo cùm Forma Sacramenti cujusq; pendeat ab inſtitutione ejusdem, nec alia poſſit valere, niſi quam Author illius inſtituit, ut patet in Sacramento Baptiſmi: etiam in Sacramento Euchariſtiæ, non alia poteſt valere, niſi conſiſtens in prædictis verbis ſolis & non aliis ab Authore hujus Sacramenti inſti-

tutis & usurpatis, ut clarè & ita concorditer expresserunt omnes tres Evangelistæ, & Sanctus Paulus Apostolus citati.

Probatur 2. Ex SS. Patribus. Sanctus Chrysostomus homil. 2. in epist. 2. ad Timoth. inquit: Sacra ipsa oblatio, sive illam Petrus, sive Paulus, sive cujusvis meriti Sacerdos offerat, eadem est quam dedit Christus ipse discipulis suis, quamque Sacerdotes modò quoque conficiunt. Nihil habet ista, quàm illa minus. Cur id? quia non hanc sanctificant homines, sed Christus qui illam ante sacraverat. Quemadmodum enim verba quæ locutus est Christus, *eadem sunt, quæ Sacerdotes nunc quoq; pronuntiant, ita & oblatio eadem est.* En S. Doctor ex iisdem verbis & Christi & Sacerdotum infert eandem esse oblationem & Christi, & Sacerdotum; consequenter juxta hunc S. Doctorem, si non sint eadem verba Sacerdotum offerentium quæ fuerunt

Chri-

Christi, inferri debet, quòd etiam non sit eadem oblatio Sacerdotum & Christi. Atqui verba Sacerdotum Græcorum, *Fac Domine*, &c. non sunt verba eadem quæ Christi, ut patet ex testimonio trium Evangelistarum & S. Pauli: Ergo nec oblatio eorundem est eadem quæ Christi.

Idem S. Chrys. homil. de prodit. Judæ, ait sic: Sacerdotis ore verba proferuntur, & Dei virtute, consecrantur & gratiâ: *Hoc est*, ait, *Corpus meum; hoc verbo proposita consecrantur.* Quid clarius dici potuit? ubi hic verba illa, *Fac Domine &c.?*

S. Gregor. Nyss. Or. 1. de Resurr. Christi, inquit sic: Cùm Corpus suum discipulis congregatis edendum & sangvinem bibendum præbuit, *tunc apertè declaravit Agni sacrificium jam esse perfectum*; quia victimæ corpus non est idoneum, si animatum sit: quare cùm Corpus edendum & sangvinem bibendum dedit, *jam victima arcano modo & invisibili*

erat

erat immolata. Subſumo: Atqui illis verbis: *Hoc eſt Corpus* &c: & *Hic eſt Sangvis* &c: dedit Chriſtus D. Corpus ſuum edendum, & ſangvinem bibendum, non autem illis, *Fac Domine* &c. ut patet ex tribus Evangeliſtis & S. Paulo: Ergo tunc apertè declaravit *Agni Sacrificium jam eſſe perfectum*, & quòd jam *victima arcano modo & inviſibili erat immolata.*

S. Damaſcenus lib. 4. de Fide Orthod. c. 14. inquit: Dixit Deus in principio: Produc terra herbã virentem, & ad hoc tempus ad caſum pluviæ producit herbam divino mandato confortata. Dixit Deus: *Hoc eſt Corpus meum: Hic eſt Sangvis meus*: & *Hoc facite in meam commemorationem*, & fit hoc omnipotenti ejus imperio donec veniat. En quibus verbis S. Doctor attribuit fieri hoc Sacramentum Euchariſtiæ?

S. Ambroſius l. 4. de Sacram. c. 4 dicit: Ubi acceſſerit Conſecratio, de pane fit Caro Chriſti. Conſecratio igitur quibus

bus verbis est, & cujus sermonibus? Domini Jesu. Nam reliqua omnia quæ dicuntur, laudem Deo deferunt, Oratio præmittitur pro populo, pro Regibus, pro cæteris: ubi venitur ut conficiatur Venerabile Sacramentum, jam non suis sermonibus Sacerdos, sed utitur sermonibus Christi. Ergo sermo Christi hoc conficit Sacramentum. Subsumo. Atqui sermo Christi est, *Hoc est Corpus* &c. juxta tres Evangelistas & S. Paulum, & non *Fac Domine* &c. Ergo ly *Hoc est Corpus* &c. & non ly *Fac Domine* &c. hoc conficit Sacramentum.

Probatur. 3. Ex Rationibus. Ratio 1. est. Non est credibile, quòd Sancti Evangelistæ & S. Paulus Apostolus in expositione Sacramenti Eucharistiæ, ita exacta, omiserint Formam Consecrationis, quæ est de essentia hujus Sacramenti. Item non est credibile, quòd Ecclesia Romana à S. Petro Liturgiam edocta nunquam habuerit Formam Consecrationis Eucharisticæ; aliàs enim nunquam adhibuisset omnia essentialia

tialia ad conficiendam Eucharistiam; sicque illam nunquam confecisset, adeòque per tot secula errâsset à tanto edocta Apostolo. Ergo non est credibile quòd debeant esse alia verba Consecrationis Eucharisticæ constitutiva essentialiter, quàm hæc: *Hoc est Corpus &c. Hic est Sangvis &c.* siquidem non alia ponuntur ab Evangelistis & Apostolo, nec alia hucusque à temporibus S. Petri usurpavit Ecclesia Romana. Ergo non est credibile, quòd verba illa, *Fac Domine* &c. sint Forma Consecrationis Eucharisticæ cùm sint omissa à SS. Evangelistis, & S. Paulo, & ab Ecclesia Romana, quos incredibile est omisisse essentialia adeòq; nec Formam Eucharisticam.

Ratio 2. est. Modò primùm Cabasylas, Simeon Thessàlonicensis, Marcus Eugenicus excitârunt hanc sententiam inter Græcos quòd Forma Eucharisticæ Consecrationis non consistat in his verbis Christi, *Hoc est Corpus* &c. sed in illis; *Fac Domine* &c.

Ergo

Ergo ante illos alia erat ſententia à temporibus Apoſtolorum inter Græcos antiquos aſſerentes Formam Conſecrationis conſiſtere in verbis Chriſti, *Hoc eſt Corpus* &c. Cui ſententiæ hi novi authores contradixerunt; aliàs, cui contradixiſſent, ſi hæc alia non fuiſſet? &c.

Ratio 3. eſt. Quæ ſententia habet pro ſe claros textus S. Scripturæ & SS. Patrum; item traditionem perpetuam & uſum perpetuum univerſalis Eccleſiæ, illa ſententia eſt de fide, & oppoſita illi eſt contra fidem, ut patet in multis articulis Fidei. Sed ſententia, quæ docet Formam Conſecrationis Eucharisticæ conſiſtere in verbis Chriſti, *Hoc eſt Corpus* &c. *Hic eſt Sanguis* &c. Et non in verbis *Fac Domine* &c: habet pro ſe claros textus S. Scripturæ & SS. Patrum, ut patet ex dictis; itemque traditionem perpetuam & uſum perpetuum univerſalis Eccleſiæ, ut clarum eſt ex Liturgiis Eccleſiæ Catholicæ.

cæ. Ergo dicta ſententia eſt de fide, & illi oppoſita eſt contra fidem.

Dicunt 1. Græci Anti-Latini. Verba illa: *Hoc eſt Corpus* &c: dicuntur tantùm hiſtoricè ſeù relativè & recitativè: Ergo non ſunt Forma Conſecrationis Euchariſticæ, quæ debet eſſe practica. Reſp. negando Antecedens; dicta enim verba proferuntur à Sacerdote non ſolùm recitativè & hiſtoricè, ſed ſimul etiam practicè nomine Chriſti, ut conſtat ex SS. Patribus citatis, & traditione ac uſu perpetuo univerſalis Eccleſiæ; imò etiam ex ipſo Evangelio, in quo dicitur ly *Hoc facite in meam commemorationem*, ubi non jubetur ſolùm relatio hiſtorica; quia ly *Facite*, plus eſt eſt quàm ly *referte hiſtoricè*; ſed potius jubetur prolatio practica eorundem verborum quæ Chriſtus D. practicè quoque protulit, ut patet ex SS. Patribus citatis; aliàs nec facient Sacerdotes, ſicut juſſit Chriſtus dicendo ly *Facite*, neque facient ly *Hoc* quod idem

Christus fecit, fieriq́ue præcepit. Unde etiam per has ipsas particulas, *Hoc facite*, validè confirmantur dicta à nobis sequunturq́ue multa, contra Græcos contrarium sentientes, absurda, quòd scilicet non faciant *Hoc* quod Christus D. fecit & jussit circa Eucharistiam; & ulterius quòd non conficiant Sacramentum Eucharistiæ, illoq́ue defraudent populos, adorent cultu latriæ panem simplicem &c. &c.

Dicunt 2. Sicut in Ecclesia Græca, Baptismi Forma est per modum deprecationis, dum dicitur; *Baptizetur Servus Christi* &c. idq́ue propterea, ne Sacerdos adscribat sibi baptismum, contra illud 1. ad Corinth. 1. *Numquid in nomine Pauli baptizati estis?* ita etiam Forma Eucharistiæ est per modum deprecationis, *Fac Domine* &c. Resp. 1. Sic respondentes videntur non legisse Rituale Græcum in quo expresè habetur βαπτίζεται quod est præsens Indicativi respondens nostro Baptizatur.

Quod

Quod ipſum advertit Arcadius accuratus Reviſor Ceremoniarum Eccleſiæ Græcæ relatus à P. Buſenbaum Dub. 2. de forma baptiſmi. In Ruſſico etiam idiomate habetur Krzeſczajet ſę quod eſt præſens Indicativi. Quidquid ſit de hoc. Dico SS. Patres Græci citati, non verbis deprecatoriis attribuunt Formam Conſecrationis Euchariſticæ, ſed verbis practicis Chriſti D. *Hoc eſt Corpus* &c. Reſp. 2. S. Paulus circa Formam Euchariſtiæ nihil ſimile dicit, quod dicit circa baptiſmum: Ergo adhuc ex teſtimonio S. Pauli nihil eſt mutandum circa Formam Euchariſticam ab illo expreſſam: adeòq́ue non eſt mutanda in verba deprecatoria. Reſp. 3. Etiam in his verbis, *Hoc eſt Corpus* &c. continetur deprecatio & invocatio Dei, quatenus hæc verba proferuntur nomine Chriſti: ſicut in Forma baptiſmi: *Ego te baptizo* &c. dicitur eſſe invocatio Trinitatis quamvis in illa nulla ſit oratio ſeu deprecatio.

Dicunt 3. in Liturgiis S. Jacobi Apostoli, & S. Marci Evangelistæ, sunt ista verba: *Fac Domine panem hunc* &c. Quæ verba postea S. Basilius & alii SS. Patres Græci in suas quoque Liturgias posuerunt. Et quidem dicta verba, *Fac Domine* ponuntur post verba Christi, *Hoc est Corpus* &c. Frustra autem ponerentur, si jam ante illa supponeretur factum Corpus Christi de pane per verba Christi; quid enim peteretur faciendum, quod factum jam esset? Ergo manifestum est quòd SS. Patres voluerint significare in verbis illis, *Hoc est Corpus* &c. non consistere Formam Consecrationis Eucharisticæ.

Resp. 1. In antiquis exemplaribus Liturgiæ S. Basilii sunt hæc verba: *Hunc panem facit Corpus suum sanctificatum sibi Dominus DEus noster JESUS Christus.* Hic autem textus est alius ab illo, *Fac Domine* &c. ut patet; estque similis illi in Latina Liturgia: *Per quem hæc omnia Domine semper bona creas.*

Resp.

Reſp. 2. Conſtat ex claris textibus SS. Patrum citatis Formam Conſecrationis Euchariſticæ conſiſtere in verbis Chriſti, *Hoc eſt Corpus* &c. & non in illis *Fac Domine* &c. Non fruſtra tamen hæc verba, *Fac Domine* &c; ponuntur in Liturgiis SS. Patrum Græcorum; quia ſenſus illorum eſt, ac ſi Sacerdos dicat: Domine en profero verba tua quibus hoc Sacramentum confici juſſiſti & tranſubſtantiari panem in Corpus Tuum; rogo fiat effectus vi iſtorum verborum. Parùm verò intereſt talem Orationem fieri ante vel poſt Formam Conſecrationis Euchariſticæ immediatè, nam continuatio cum Forma ſignificat ſimultatem moralem. Exemplum hujus eſſe poteſt, ſi Petrus debitor phyſicè det pecuniam creditori, & immediatè ſive ante, ſive poſt addat dicens: *Solvo tibì debitum.* Hæc Oratio utique non erit fruſtra, quamvis jam ſit ſolutum debitum per redditionem pecuniæ. Confirmatur hæc reſponſio;

quia tam in Latina quàm in Græca Ecclesia, etiam post Formam prolatam Baptismi, Ordinis, & aliorum Sacramentorum fiunt Orationes, quibus petitur effectus horum Sacramentorum, qui jam collatus fuit in fine prolationis Formæ, nec tamen illæ Orationes frustra dicuntur. Idem ergo dicendum & in præsenti. Ratio autem horum à priori est; quia in moralibus, quod fit immediatè post aliud, si sit ex se ordinatum ad illud, censetur perinde, ac si simul cum alio fieret propter unitatem continuationis.

Resp. 3. In contextu Liturgiæ S. Basilii, ut cuique attentè legenti patebit, ly *Fac* non refertur præcisè ad ly *Panem*, sed usque ad ly *Ut accipientibus fiat in emundationem Animæ* &c: ita ut sensus sit: Da Domine, non quidem esse de novo totaliter aut completivè pani huic jam cœlesti & vivo facto totaliter, & completè mutato in Corpus tuum per verba tua; sed da esse tale seu

le ſeu vim & gratiam talem, ut accipientibus fiat in emundationem Animæ &c. Et ſic in Concilio Florentino quærenti Eugenio IV. & Latinis, quare Græci in ſua Liturgia poſt verba Chriſti D. adderent Orationem; *Fac Domine* &c. reſponderunt Græci per deputatos 4. Epiſcopos Ruſſiæ, Nicææ, Trapezuntii, & Mitilexes ſic: Fateri nos diximus per hæc verba (ſcilicet, Hoc eſt Corpus &c.) tranſmutari Sanctum Panem & fieri Corpus Chriſti, ſed poſtea quemadmodum & ipſi dicitis: Jube hæc dona perferri per manus Sancti Angeli tui in ſupercœleſte tuum altare: ita nos quoque oramus dicentes, ut Spiritus S. deſcendat ſuper nos, & faciat in nobis Panem hunc pretioſum Corpus Chriſti, & quod eſt in Calice, pretioſum Sangvinem Chriſti, tranſmutetq; illa Spiritu ſuo ſancto, ut fiant accipientibus in emundationem Animæ, in remiſſionem peccatorum, non verò in judicium aut condemnationem. Hæc

illi. Unde patet per dicta verba, *Fac Domine* &c. peti à Sacerdote continuationem moralem Transmutationis Eucharisticæ totalis, quatenus scilicet extendentis se ad effectus Sacramenti Eucharistiæ, qui sunt emundatio Animæ &c: & non solùm ad ipsum esse Sacramenti Eucharistiæ. Sed hæc sufficiant in re tam certa in Ecclesia.

QUÆSTIUNC. VIII.

An Vinculum Matrimonii sit indissolubile usq; ad mortem Conjugis alterutrius?

RESp. Anabaptistæ hæretici putant esse solubile vinculum Matrimonii ante mortem alterutrius Conjugis, dicuntque quòd Maritus uxorem possit dimittere & aliam ducere. Ad hos videntur declinare Græci Anti-Latini qui facilè procurant, & permittunt dimittendam uxorem priorem, & alteram

ram ducendam, si modò utraque pars consentiat, seu si maritus priorem uxorem, & prior uxor maritum nolit ex quacunque causa, rixarum, &c. Contra utrosque & præsertim contra Græcos Anti-Latinos est Catholica de Fide

Propositio.

Vinculum Matrimonii legitimi & consummati est indissolubile usque ad mortem alterutrius Conjugis; ita ut vivente utroq; Conjuge neuter possit inire Matrimonium cum aliqua tertia persona, & si ineat, seu si accipiat vel maritus aliam uxorem vivente priore, vel uxor alium maritum vivo priore legitimo, nullum inter eos sit Matrimonium, sed nonnisi adulterium.

Probatur 1. Ex S. Scriptura. Matth. 19. Christus D. loquens de Matrimonio, sic ait: *Quod ergo DEus conjunxit homo non separet.* En clarè Matrimonium verum, est ab homine inseparabile, indissolubile.

Marci 10. Christus D. generatim absolutè dicit: *Quicunq; dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam.*

Ad Rom. 7. dicit S. Paulus: *Quæ sub viro est mulier, vivente viro, alligata est legi. Si autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est à lege viri. Igitur vivente viro, vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro.*

1. ad Cor. 7. sic idem inquit: *Iis autem qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, Uxorem à viro non discedere: quòd si discesserit, manere innuptam aut viro suo reconciliari.* Ecce secundùm Apostolum, Christus D. præcipit *Uxorem à viro non discedere*, id est, præcipit Uxorem cohabitare viro, prohibetque separationem quoad thorum & cohabitationem: itemq; præcipit, quòd si uxor fecerit separationem quoad thorum & cohabitationem, *debeat manere innupta aut reconciliari viro*, per quod præcipitur vinculum

lum ipſum matrimonii indiſſolubile, quo ſcilicet uxor etiam ſeparata quoad thorum & cohabitationem à viro, maneat ligata, ita, ut non poſſit alteri nubere. Idem verò dicendum de marito ob paritatem ſtatûs & vinculi mutui.

Probatur 2. Ex Concilio Tridentino. Hoc Seſſ. 24. in decreto de Sacramento Matrimonii, ita definit: Matrimonii perpetuum, indiſſolubilemq́ue nexum primus humani generis parens, divini Spiritûs inſtinctu pronuntiavit, cùm, dixit: Hoc nunc os ex oſſibus meis & caro de carne mea, quamobrem relinquet homo Patrem ſuum & Matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una. Hoc autem vinculo duos tantummodò copulari & conjungi Chriſtus D. apertius docuit, cùm poſtrema illa verba, tanquam à Deo prolata referens dixit: Itaq́ue jam non ſunt duo, ſed una caro. Statimq́ue ejusdem nexûs firmitatem ab Adamo tantò

tò ante prænuntiatam his verbis confirmavit: Quod ergo DEus conjunxit homo non ſeparet.

Can. 5. idem Concilium ſic definit: Si quis dixerit propter hæreſim, aut moleſtam cohabitationem, aut affectatam abſentiam à Conjuge, diſſolvi poſſe Matrimonii vinculum, anathema ſit.

Can. 7. rurſus definit ſic: Si quis dixerit Eccleſiam errare cùm docuit & docet juxta Evangelicam & Apoſtolicam doctrinam propter adulterium alterius Conjugum Matrimonii vinculum non poſſe diſſolvi, & utrumq; vel etiam innocentem, qui cauſam adulterio non dedit, non poſſe altero conjuge vivente, aliud Matrimonium contrahere; mæcharique eum qui dimiſsâ adulterâ aliam duxerit, & eam quæ dimiſſo adultero, alii nupſerit, anathema ſit. Hæc omnia Tridentinum, de cujus authoritate recipienda etiam à Græcis conſtat ex dictis Quæſtiuncula 5.

Pro-

Probatur 3. Ex Rationibus. Ratio 1. est. Ad Ephes. 5. dicit Apostolus: *Viri diligite uxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam.* Et mox subdit. *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in Ecclesia.* Atqui Christus diligit Ecclesiam usq; ad consum̃ationem seculi, & in æternum; estque vinculum inter Christum & Ecclesiam, perpetuum, & nunquam dissolubile, ut constat ex Apocal. 21. & aliis locis S. Scripturæ: recipitque iterum Animas fornicantes post Deos alienos, ut etiam docet S. Scriptura. Ergo & viri debent diligere in perpetuum uxores suas; Matrimoniumque inter virum & uxorem, quo significatur unio Christi cum Ecclesia, debet habere vinculum indissolubile; aliàs significaretur unio Christi cum Ecclesia esse dissolubilis.

Ratio 2. est. Quia si vinculum Matrimonii esset dissolubile, daretur licentia magna Carnis facilè assumendi aliam & aliam uxorem,

aliam

alium & alium maritum, ſequerenturque innumera mala in mundo ex mutatione uxorum, puta incertitudo prolis, mala educatio ejusdem, mala procuratio bonorum pro hæredibus, rixæ familiarum, homicidia, imò parricidia, furta, latrocinia &c. &c.

Dices 1. Judæis conceſſum eſt dato libello repudii dimittere uxores ſuas, & alias ducere. Ergo vinculum Matrimonii, quod utique fuit etiam inter Judæos, eſt diſſolubile. Reſp. Jam Chriſtus ſolvit hanc objectionem cùm dixit Matth. 19. *Moyſes ad duritiam cordis veſtri, permiſit vobis dimittere uxores veſtras ab initio autem non fuit ſic:* Ecce Moyſes non præcepit, ſed permiſit dimittere uxores Judæis. At novi teſtamenti Legifer Chriſtus, imò & in paradyſo DEus præcepit non dimittere ut oſtenſum eſt.

Dices 2. Matth. 5. Chriſtus D. dicit: *Omnis qui dimiſerit uxorem ſuam, exceptâ fornicationis causâ facit eam mæchari:*

ri: & qui dimissam duxerit, adulterat. Ergo ob fornicationis causam licet solvere Matrimonii vinculum. Resp. Negando consequentiam. Ant. jam supra explicuit S. Paulus 1. ad Corinth. 7. Explicat & S. August. lib. 1. cap. 9. de adulterinis conjugiis ad Pollentium sic scribens: Qui ergo nos sumus, ut dicamus: est qui mæchatur uxore sua dimissa alteram ducens, & est qui hoc faciens non mæchatur; cùm Evangelium dicat omnem mæchari qui hoc facit? proinde, si quicunque hoc fecerit, ut uxore sua dimissa; alteram ducat, mæchatur; sine dubio ibi sunt ambo, & qui præter, & qui propter causam fornicationis dimittit uxorem, hoc est enim, *Quicunque dimiserit*, hoc est *omnis* qui dimittit. Et cap. 12. ait: Qui dimissam à viro ducit mæchatur, quomodo est verum? quomodo mæchatur, nisi quia illa quam duxit, eo vivente à quo dimissa est, adhuc uxor aliena est? si enim jam suæ, non alie-

næ

næ miſcetur uxori, utique non mæchatur. Mæchatur autem: aliena ergo eſt cui miſcetur. Porrò ſi aliena eſt, hæc eſt ejus à quo dimiſſa eſt, etiamſi propter fornicationis cauſam dimiſſa eſt, nondum dimittentis uxor eſſe ceſſavit. Si autem illius eſſe ceſſavit, jam hujus eſt cui alteri nupſit. Et ſi hujus eſt, non mæchus judicandus eſt; ſed maritus. Sed quia non eum maritum dicit Scriptura, ſed mæchum adhuc illa illius eſt, à quo etiam causâ fornicationis abjecta eſt. Hæc S. Aug.

Dices 3. Juſtinus 2. Imperator anno D. 566. tulit legem ut Matrimonium diſſolvat[ur] partibus conſentientibus. Ergo ex lege hac eſt diſſolubile vinculum Matrimonii. Reſp. Contrariam legem ſtatutam fuiſſe à Juſtiniano fatetur hic ipſe Juſtinus, quem etiam ſuum Patrem vocat; imò non advertit quòd à Rege Regum Chriſto JEſu aliter ſit inſtitutum, ut conſtat ex dictis.

Di-

Dices 4. Concilium quod fuit Constantinopoli 809. approbavit Matrimonium Imperatoris cum Theodota altera conjuge, vivente adhuc prima uxore: Ergo Matrimonii vinculum est dissolubile ab Ecclesia. Resp. Hoc Conciliabulum nullius est momenti, ut videre est apud Baronium, & patet ex ipsius edictis illis, quòd lex divina Reges non obliget: quòd in lege & præcepto Dei possit fieri dispensatio &c. Contra quæ graviter insurgit S. Theodorus Studita epist. 33. & 34.

QUÆSTIUNCULA IX.

An post mortem tertiæ uxoris non liceat accipere in Matrimonium quartam uxorem?

RESp. In Græca Ecclesia anno D. 901. Leo Sextus Imperator Orientalis constituerat legem contra eos, qui

tertiò repetunt Matrimonium, ut punirentur juxta Canones Concilii Neocæsar. cap. 3. hoc est, certis pœnitentiis & prohibitione usûs SS. Eucharistiæ, & ingressûs in templum ad certum tempus. Hanc legem ipse hic Leo transgressus est. Nam post demortuas tres, quas successivè habuit uxores, Theophanonam, Zoen, Eudociam, accepit quartam Zoanam prolis habendæ desiderio. Nicolaus Patriarcha Constantinopolitanus Imperatorem propter hanc legem violatam prohibuit aditu Ecclesiæ. Cùmque Metropolitani adversarentur in hoc Patriarchæ, dicentes brevem nonnisi aliquam Imperatori assignandam pœnitentiam, & inter se discordes essent, Leo Imperator deposuit Nicolaum Patriarcham, & ad Monasterium expulit, in ejusque locum Eutymium constituit. Tandem post has discordias anno 921. ita circa hoc uniti sunt, ut quartum Matrimonium nunquam permitteretur: & pro

tertio

tertio Matrimonio inito, ut talis assignaretur pœnitentia, nimirum ne tales ad quinq; annos sumerent Corpus Christi, & quidem si prolē ex primis duobus Matrimoniis non habuissent. Hæc tamē unio non duravit: & post octoginta annos sopiri hæc discordia non potuit.

In Latina Ecclesia, de hoc nulla fuit, nec est controversia; sed permittitur post mortuas successivè uxores repeti matrimonium, ut scribit S. Hieronymus Epist. ad Geruchiam adversus Jovinianum, quòd sub Damaso Papa novisset fœminam quæ supervixerit viginti duobus successivè maritis propriis. Et dicit: Non damno hos, qui non tantùm bis, sed & qui octies repetunt matrimonium: id tamen dicitur secundùm indulgentiam, & non secundùm consilium: melius enim & perfectius est illud non iterare.

Ratio etiam pro hac indulgentia est. 1. Quia 1. ad Cor. 7. dicit S. Paulus: *Dico autem non nuptis & viduis: bonum est il-*

lis si sic permaneant, sicut & ego. Quòd si non se continent, nubant, Melius est enim nubere, quàm uri. Atqui hoc valet de quarto, & quinto, & octavo ly *non nuptis*, ly *viduis*, cùm non addat Apostolus primò aut secundò non nuptis & viduis. Ergo & quartò & octavò non nuptis, & viduis, servit hæc Indulgentia Apostolica: *quòd si non se continent, nubant; melius enim est nubere quàm uri.*

Ratio 2. 1. ad Cor. 7. dicit idem Apostolus. *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit, quòd si dormiêrit vir ejus, liberata est; cui vult, nubat; tantùm in Domino.* Atqui hoc valet de muliere, sive dormiêrit vir ejus primus, sive secundus, sive octavus cùm Apostolus non addat numerum ad virum. Ergo pro muliere, sive dormiêrit vir ejus primus, sive septimus, valet hæc indulgentia Apostolica: *Cui vult nubat, tantùm in Domino*, id est legitimè juxta leges Domini per Ecclesiam promulgatas.

Ratio

Ratio 3. Ad Rom. 7. dicit idem Apostolus: *Quæ sub viro est mulier, vivente viro alligata est legi: si autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est à lege viri. Igitur vivente viro, vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro: si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est à lege viri, ut nõ sit adultera, si fuerit cum alio viro.* Atqui id totum verum est, sive de primo, sive de quarto, & decimo viro. Ergo servit indulgentia hæc Apostolica, ut mulier si mortuus fuerit vir ejus, sive primus, sive quartus, sive decimus, *liberata sit à lege viri, ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro.*

Ratio 4. Quia non potest deduci ex S. Scriptura & legibus seu Canonibus à tota Ecclesia Catholica receptis, hæc obligatio de viro quòd non liceat illi quartam & octavam successivè accipere uxorem, & uxori non liceat quartum & octavum successivè accipere maritum. De S. Scriptura patet, ex qua contrarium licitum esse hactenus osten-

ſtenſum eſt. De Eccleſia quoq; conſtat ex S. Hieronymo & praxi Eccleſiæ Romanæ ſeu Univerſalis per totum orbem diſperſæ, cui non debet obſtare unius Patriarchiæ Cõſtantinopolitanæ praxis, nec uſu, nec lege firma ſtabilita, nec à Sede Apoſtolica authenticè approbata.

Ratio 5. eſt; Quia ex denegata hac indulgentia, ſequi poſſunt multa occulta ſtupra, fornicationes, adulteria, quæ ſucceſſivis Matrimoniis multiplicatis impediuntur, ſi hæc tanquam licita indulgeantur. Quòd autem ſint licita patet ex eſſentia Matrimonii, cujus iteratio quoque nulla prohibitione redditur illicita, ut ex dictis conſtat. Certè uſus Romanæ Eccleſiæ id manifeſtè probat licitum, indeq; conſequens honeſta, & primo æqualis matrimonio vita conjugatorum in quarto & ſexto matrimonio viventium. Minimè etiam hâc indulgentiâ tollitur Conſilium; ſiquidem indulgentia non eſt præceptum obligativum, ſed permiſſio & cõ-

de-

descendens infirmitati humanæ concessio minoris boni directa ad malum vitandum, simul cum conditionato desiderio majoris boni consulti & consulendi conjuncta, si ad hoc velit eniti humana infirmitas. Cùm ergo neque ex S. Scriptura, neque ex ulla lege Ecclesiastica firma & recepta publicè à tota Ecclesia possit ostendi illicitum esse quartum & quintum matrimonium: imò pro hac indulgentia quarti & quinti matrimonii tot adsint rationes, quot sunt adductæ, Concludendum est sive in Græca, sive in Latina Ecclesia, licitum esse post mortem tertiæ uxoris accipere in matrimonium quartam uxorem; quod resolvendum petebat titulus in hac Quæstiuncula propositus.

His breviter resolutis Quæstiunculis novem, addo Quæstiunculas supra Dialogum I. de Processione Spiritûs Sancti à solo Patre.

Omnia ad M. D. G. Omniumq; errabundarum Animarum conversionem.

Permissu Superiorum.